

175

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

49

16



1757.

1. Bentz, Johannes Jacobus: De carnis fortuito
2. Buchsenstein, Johannes Adamus: De acquisitione et inhibitione fructuum a bona et mala fidei possessore. Analysis 1.22. P. de rei vindicatione
3. Coeperus, Johannes: De creditorum in concursu praesentia
4. Daniel, Georgius von: Theses inang. jus temporis quadragesimalis delibantes ad l. l. c. de feriis et accomodatae.
5. Faber, Julius Sebastianus: De societate
6. Halbritter, Johannes Georgius: De majoratu vulgo Majorats. Quatern
7. Leutz, Johannes Casparus: De audientia episcopali.
8. Pancus, Georgius Hurvius: De damno contra l. Aquilianam dato.
9. Pancus, Georgius Hurvius: De delicto damni et l. Aquilia ejusdem vindice.

1651.

9. Reichmannus, Godefridus: De repetitione dotis 5.
10. Schallerus, Jacobus: Civi Democraticus. 6.
11. Schoene, Arnoldus: De subbatione 7.
12. Schoene, Hermannus: De induciis moratoris 8.
13. Tabor, Joh. Otto: De sententia Nov. CLX Capitulis
et II archiep. de cont. et vendit. 9.
13^a Tabor, Joh. Otto: De continuanda annuorum redi- 9.
tuum praestatione 10.
14. Beiglerus, Johannes: Callationis juris Romani
et Hungarici T. d. πρωτη. 11.

1652

1. Berneggerus, Tobias: De monopolis 12.
2. Braum, David: De iudicio sortis per indicem. 13.
3. Bullaeus, Mauricus Tractatus: De contumacia
4. Cramer, Johannes: De adulteris, stupro, incesto, 14.
et lenocinis ad l. Juliae

1652.


5. Klenzel, Christianus : De instrumentorum editione
6. Meinders, Franciscus : De cessione actionum
7. Szelleczy, Jacobus : De cessione bonorum
8. Tabor, Joh. Otto, fac. jur. Decanus : Programma, quo
ad solennia doctoralia Juris Thommanni et Hurici
Joachimi Bullaei invitatur.
9. Tabor, Joh. Otto : De investitura feudali.
10. Tabor, Joh. Otto : De termino antichreseos Lactae,
et ejus, quod interest.
11. Tabor, Joh. Otto : De patria potestate.
12. Tabor, Joh. Otto : De non usu vel abrogatione
juris Justinianei.
13. Tabor, Joh. Otto : De censuum mixtorum, et anti-
chreseos perpetuatione
14. Tabor, Joh. Otto : De jure empti lenticis.

1652

15. Taber, Joh. Wllo: De curis pupillaribus, reo ju-
diciali, pacto extensivo promissis, nauticis
et cambialibus.

14
S





726 203.7
CASV FORTVITO

DISPUTATIO INAUGURALI

Q. V. A. M.

Sub unico SS. Trinitatis praesidio,

Ex Decreto & Auctoritate

NOBILISSIMI ET AMPLIS-

SIMI ICTORUM ORDINIS, IN CELE-

BERRIMA ARGENTORATENSIUM

UNIVERSITATE,

Ex Insignibus, Privilegiis, & Immunitatibus

Doctoribus in Urug. iure obtinendis.

Publice ac solenni Censura subscriptis

JOHANNES JACOBUS

Argentorati

Die 27 Julii 1771


✻(O)✻

✻

ARGENTORATI

Typis Joh. J. ...





12894.

Q. B. V.

3

THESES INAUGURALES

JUS TEMPORIS
QUADRAGESIMALIS

delibantes,

*Ad Leg. 6. Cod. de Feriis
accommodata.*

1654, 4.

Quas

DEO clementer adjuvante.

Prævio Decreto & Autoritate

MAGNIFICI, NOBILISSIMI,
AMPLISSIMI AC CONSULTISSIMI,
SENATUS JURIDICI ILLUSTRIS
ARGENTINENSIIUM ACADEMIÆ.

Pro obtinenda

IN UTROQUE JURE SUMMA DIGNI-
TATE ET PRIVILEGIIS

DOCTORALIBUS.

*Publicæ & Solenni Eruditorum
disquisitioni exponit*

GEORGIUS von DASEL.

In Aroaterio majori, XXV. M. Sept.

o(s)o(s)

ARGENTORATI,

Typis expressit JOHANNES Pichel /

A. R. S. c1o 1oc LL.

1771

JUS THEOPHILIS

GEORGIUS HONORABILIS

Magister JOHANNES PETER

A. R. S. cl. loc. II.





UNIVERSÆ
DASSELLIORUM
FAMILIÆ,

*Antiqua Nobilitate & meritis in
Rempublicam eximia,
CUM PRIMIS*

DN. JOHANNI von Dassel/ Illustris Lunæbur-
gensis Rerum Salinariarum SUMMO DIRECTORI ac
Primario Senatori, Dn. Parenti suo, omni honoris ac fi-
lialis observantiæ cultu ætatem prosequendo:

{ GEORGIO } von Dassel/ Dnn. Patruis suis,
DNN. { ALBERTO } Patronis Maximis, ætatem
{ HARTWIGO } observandis:

NEC NON

DN. GEORGIO HIEREMIAE von Dassel/
Dn. Agnato suo, Patrono Maximo, omnibus nominibus
æternum honorando.

*Florentissima hujus Fami-
lia capitibus*

Theses has Inaugurales

*Observantiæ debite te-
standæ causæ*

*S. binijsse Offert, I. scribit,
D. dicat*

AUTHOR.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The words "DASSEL" and "FAMILIA" are clearly visible in reverse.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The name "DR. JOHANN" is visible in reverse.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The name "DR. GEORGE" is visible in reverse.


Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The name "DR. GEORGE" is visible in reverse.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The name "DR. GEORGE" is visible in reverse.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The name "DR. GEORGE" is visible in reverse.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The name "DR. GEORGE" is visible in reverse.





Τῆ Κρείττῃ Συνοδείᾳ

ΔΙΑΤΥΠΩΣΙΣ.

De

JURE TEMPORIS QUADRAGESIMALIS.

Ad l. Quadraginta diebus. §. C. de Feriis.

idem A A A. Luciano Vicario

Macedonia.

Quadraginta diebus, qui auspicio cære-
moniarum Paschale tempus antici-
pant, omnis cognitio inhibeat,ur,
criminalium quæstionum.

Proœmium.



Um exantlato examine, ex De-
creto Nobilissimæ Facultatis Juridicæ Ar-
gentinensis, de materia Inauguralis loco
defendenda, meditari incumberet, haut
immemor esse volebam moniti Amplissi-
mi, Consultissimiq; Viri, Dn. D. Taboris, Præceptoris ac Pa-
troni mei nunquam sine reverentia memorandi, qui *in*
tr. de Iure Socide. cap. 1. n. 1. eos propius attingere scopum
scribit, qui in publicis ejusmodi speciminibus non quoti-
diana affectant, themata (quæ tamen & plenius tractan-
da, ut docet Gothofr. *ad l. 25. de liberat. legat.* & Cludius
in proœm. rerum quotidian.) sed rariora & minus discussa

A

alibi

alibi argumenta industriæ suæ proponant, cum hæc ingenium acuunt & exscriptarum thesium suspicionem amoliantur, vid. proœm. *d. tr. de Iure Socidæ.* conf. Quintil. *l. ii. Inst. c. 2. vers. difficiliora enim debent esse quæ exercent.* Itaq; cum in Eiusdem Racemationibus definitionum criminalium fortè fortuna legerem, gravissimū quendam virum *de Iure Quadragesimali*, sequius pronunciare, quàm Jure Justiniano, ne dicam Canonico decretum sit: *Es sey weder in den Geistlichen / noch Weltlichen Rechten / noch von deren Rechtsgelährten jemals für unrecht gehalten worden / in der Fasten peinliche Straffen gegen die Vbelthäter vorzunemen.* Id verò *l. 6. C. de Feriis*, minus convenire videretur: nec satis esse ducerem calamū in Jurisprudentia Synthetica exercuisse, sed Analytica quoque, (quæ verum legum sensum recludit) aliquid studii consecrandum esse, ut de Brocardica & Polemica hic nihil dicam, vid. Dn. D. Tabor *in præfation. Fili Ariadnæi. & in præfation. Thes. Jurisprudent. modò excuso.* Cumque labor maximi nominis Jctorum summus, isque nec inutilis nobis relictus sit Analyticæ Jurisprudentiæ, quantum haut obscure colligi potest ex Donelli Comment. ejusque Enuclatore Hillig. *1. comm. Iur. Civ. c. 1.* Lubuit Analyticæ Jurisprudentiæ specimen aliquod cum Synthetica conjunctum ob oculos hic ponere *in l. 6. C. de Feriis.* cui ordinariam hujus materiæ Quadragesimalis sedem ac fundamentum solent tribuere, ejusque ductum hac vice sectari. Faxit Sancta Sanctissimi Flaminis aura, quò fragilis ingenii mei ratis, huic truci pelago sese committens, innumeras difficultatum Syrtes eorumque Syrenes prudenter eludere, nec non ad portum feliciter appellere valeat.

THESIS

T H E S I S I.

UT autem proposita Legis nostræ tractatio eò sit illustrior, *Analys. l. 6. C. de feriis.* priusquam ipsam eiusdem arborem ad vivum reseceamus, cortices, qui se obijciunt exteriores (*ὄρυγαφὼν cum ἰσορυγαφὼν intelligo*) agite deglubamus: Quæ licet rem ipsam haut eruant, non omninò tamen otiosæ sunt, cum textui sæpe maximum afferant lumen. Dn. D. Tabor *tract. de l. Socid. cap. 1. num. 9. in Dissert. de Testamento Principi oblato cap. 1. num. 4. & 6.* Jacob. Gothofred. *in discurs. Histor. ad l. quisquis. C. ad Leg. Jul. Maiest. cap. 3. num. 2. in fin. & n. 3. ut & c. 12. & 13. conf. de utilitate præloquiorum l. 1. in pr. ff. de O. l. Consultiss.* Dn. D. Biccus *Præceptor ac Patronus meus summopere venerandus in Syllog. rer. quotid. th. 1. præloq.*

II.

Quod ergo *ὄρυγαφὼν* vel potius præscripta nomina attinet, exhibet ea tum ipsos rescripti Autores, tum ad quem præcipuè directum fuit. Autores in vulgata Codicis Justiniani editione memorantur iidem *in h. l. 6.* qui in præcedenti *l. 5. C. h. t.* Impp. Valentinus, Valens & Gratianus. Sed dubiam reddit hanc lectionem: quod alii planè Impp. in C. Th. legis huius autores memorantur. Utique si vitam ac mores Valentiniani paulò penitius inspiciamus, vix eius moribus tam religiosa convenit sanctio, siquidem non usque zeloten eum fuisse Historici Ecclesiastici satis dilucidè indicant, ut Socrates *l. 4. Histor. Theodos. lib. 1. cap. 15.* & Sozomen. *lib. 6. cap. 6.* Et si Suidæ *in voce Valentinianus* danda fides, inter religionum diversitates is medius stetit, nec quenquam inquietavit, neque ut hoc coleretur aut illud imperavit, nec interdictis minacibus subjectorum cervicem, ad id, quod ipse colebat, inclinavit, sed intemperate reliquit has partes, ut reperit.

Persona rescribentes.

III.

Credendum itaque magis matrici Theodosiano Codici, illisque præterea, qui hac de re specialius aliquid reliquere scriptoribus, quorum nullus Valentiniano aliquam de Quadragesimali Tempore seu Ritibus sacris, nedum hanc tribuit constitutionem, sed Impp. Gratiano, Valentiniano II. & Theodosio. Huic autem præcæteris, qui paucis interjectis Impp. Valentinianum seniore secutus est, electus primùm à Gratiano, militiæ Dux insignis, & ad

A 2

Orien-

Orientis Respubl. quæ tum variis agitabantur fluctibus, dimissus, confecto ferè bello Constantinopolim die Novembr. 24. O. R. A. 379. reversus est, ubi (referente post alios Sigonio) leges tulit de luxuria refrenanda, incepitque ab ipsa aula, quam instituit frugalissimam: Nam superiores Impp. parum lautos se putabant, nisi hybernæ rosæ poculis innatarent, & æstivam glaciem Falerno refrigerando adhiberent, qui dapes non sapore, sed sumptu æstimabant, quicquid attulerat extremus Oriens, vel extra Imperium situs Colchus.

IV.

Quæ omnia cum optimus hic Imperator contemneret, legum salubritate in meliorem statum reduxit, exque Regia sua sede Constantinopoli anno æræ Christianæ sequenti 380. Thessalonicam se contulit, ubi in gravissimum morbum incidens, ab eorum Episcopo Acholio sancti Baptismatis lavacro Ecclesiæ insertus est Christianæ, Johan. Cuspian. in *comm. ad Aurelii Cassiodori Conf. Rom. sub hoc Theodosio p: 514*. Indeque post, de Orthodoxâ religione, deq; Tempore Quadragesimali, & alias tulit. Vide post diligentissimum *ἔρευνολογίας* scrutatorem Calvis. in *opere Chronologico*, pag. 410. novissimè Petavium in *rationario temp. part. 2. l. 7. c. 10*. vel potius (ex quo ille sua pleraque hausit) Casl. Baron. *tom. IV.* quia Theodosio sanctam refert anno Chr. 380. auream & sanctam illam sanctionem seu Edictum ad urbis Constantinopoleos populum, *l. 1. C. de Summ. Trinit. & l. qui divina legis 1. C. de crimin. sacrileg.* mense Febr. Gratiano. A. V. & Theodosio, A. I. Cols. in sequenti verò mense de pio religio quoque cultu sacri Quadragesimalis temporis eodem loci ad Albucianum Macedonia Vicarium rescripsit hanc *l. 6. C. de Feriis*, Gratiano A. VI. ut C. Th. vel V. ut vult Baron. & Theodosiol. Cons. quod idem nobis monstrat C. Theod. ubi lex hæc sub tit. de quæst. posita reperitur, & quoad textum *ἡ ἀρχὴ τοῦ θεοῦ* cum hac *l. 6. Cod. de feriis* respondet: Hanc legem iteratò repetiit Theodosius Anno 389. VIII. Id. Sept. ad Albinum urbis Præfectum ex urbe Foro Flamin. Timasio & Promoto Cons. cum in itinere versus Mediolanum comprehensus, ut Marcellinus docet, quo cum venerat ad P. P. Tatianum, & aliud haut contemnendum adversus Hæreticos rescriptum dedit quod legitur in C. Th. in *l. bi qui sevi dogmatis 19. de Hæret.* quæ omnia cum & Matruci Codici, rerumq; præterea gestarum exactif-

exactissimis compileribus conveniant, cum contrà l. 6. C. de feriis. etiam sine Die & Consule in nostrum repetitæ prælectionis Codicem relata sit, ideo illis, quàm nostro Codici, potior erit habenda fides. Conf. Labittum in Indii. Baron. T. IV. p. 652. num. 74. & l. 5. C. Th. de Quæst. quæ ita concepta extat: Sacratissimæ Quadragesimæ diebus nulla supplicia sint corporis, quibus absolutio expectatur animarum, quam ut præcedentem l. 4. C. Th. d. t. in Libris Basilicōn. l. VII. t. de feriis. §. 21. ita legis: ἐν τῇ τεσσαρακοστῇ τοῦ Πάχα μνημεία παντελῶς ἐγκληματικῆ δίκῃ γυμνάζεσθαι ὅρα μὴ μὲν ἀρχόντι. h. e. Diebus XL. ante diem Paschæ nulla omninò Quæstio apud ullum judicem exerceatur. Et hæc de Auctore inscriptionis notâsse sufficiant.

V.

Excipit in Inscriptione personas Rescribentes Subjectiva, ad quam hæc Constitutio perscripta fuit: priusquam verò de illa agamus; inquirere lubet ad quam Constitutionum speciem, quæ variæ sunt, hanc referamus. Omnes Constitutiones dividi posse vel ratione formæ, vel finis, tradit Consultissimus Dn. D. Hahn. Patronus ac Præceptor meus observandissimus in accuratissimis observationibus Theorico Practicis Wesenb. ad tit. de constit. princip. vers. vel per Epistolam: Ratione Formæ. 1. In Epistolam seu rescriptum. 2. Decretum. 3. Edictum. 4. Principis Orationem. 5. Ejus Mandatum. & 6. In Interlocutionem. C. I. A. lib. I. tit. 4. th. II. ex l. 3. C. de LL. Connan. I. comm. c. fin. num. 4.

VI.

His alii addunt Principis contractum, ex l. pen. C. de donat. int. Vir. & Vx. & l. 15. ff. de publican. vid. Wesenb. c. ff. de Const. Princip. Vasq. I. contr. 3. n. 5. ib. cit. Dd. Contra quos disputat subtilissimus Bachovius ad Wesenb. de const. Pr. & annot. ad Treutl. V. I. D. I. th. 5. H. & post eum accuratissimus Dn. D. Hahn. & Dn. Joh. Strauchius, Doctor meus in Acad. Lips. in not. MSptis. Wes. ad t. ff. de Pr. const. post alios. distinguentes; An talis contractus à Rege seu Principe qui supereminenti gaudet dominio (ut Grotius ait de I. P. & B. l. 2. cap. 14. n. 7. & 8.) celebratus ut à Principe aut ut à privato, & hoc modò ita obligatum teneri Principem ut quemlibet privatum, non modò naturaliter sed & Civiliter, quia promissorum & contractuum hæc sit natura

natura ut jus det inter Deum & homines, id quod & natura commutativæ suadet justitiæ, quæ omnem personæ respuit respectum, argumento *pr. 1. de oblig. l. 3. ff. eod. Arist. 5. Nicomach. 4.* Si verò actus sit Regis qua Regis, veluti si Princeps qua talis contrahat cum subditis de negotio seu causa status juribusque publicis, tunc eum civiles Leges vi exigendi seu coactivè haut adstringere videntur, latius Hugo Grotius *de I. P. & B. l. 2. cap. 14.* ex quibus, ait ille *d. l. n. 9.* apparet, quàm falsum sit, quod quidam ajunt scil. ἀπλῶς contractus Regum leges esse,

VII.

Nec officit citata *l. pen. C. de donat. inter V. & Vx.* in qua haut affirmatur καὶ ἔλεγε ἢ ἀπλῶς quod Principis contractus sit Lex, sed quomodo Principis contractus legis vicem obtineat; scil. quod ejus præsentia & autoritas in contrahendo omnes superet legis solemnitates, citra quas privatorum contractus inutiles essent vel nulli, & hac ratione lex dici potest, non verò quoad ejus violationem. Conf. Cujac. *26. obs. 35. 2.* Et in summa Contractibus Imperatoris inest solemnitas legis, Reinking. *de Regim. secul. & Eccles. l. 2. cl. 1. cap. 5. num. 58.* Bachov. *ad. Wesenb. d. l. Pac. αναλ. C. ad l. pen. & Perez, in prælect. C. eod. tit. num. 19.* ait: Contractus Principis vim Legis obtinent & pro legitimis habentur, licet minus legitimè facti sint, *conf. gl. ad h. l. verb. sancimus,* quæ ait, Contractus imperialis est Lex: uti & aliud nobis monstrat exemplum *l. cum multa. 7. C. de bon. qua lib. l. bene à Zenone. fin. C. de quadrienn. præscript.* Rursus nec obest citata *l. 15.* quoniam ibi agitur de contractu cum Publicano inito, qui simul pro lege publicatur, quatenus ei insunt quæ omnibus subditis observanda veniunt. Strauch. *ib. conf. gl. ad h. l. & latius differentes Bodin. 1. de republ. cap. 8. Vafq. illustr. quæst. 1. cap. 3. & 26. num. 16. & d. l. controvers. liem c. 45. num. 13.* sed de hac quæstione satis.

VIII.

Constitutionem nostram quod attinet, posset illa referri ad Mandati speciem, si præceptum seu Mandatum à Principe Theodosio ad certam personem Vicarium Macedonia respicias per *l. 1. & t. t. C. de Mand. Princip.* Meierus *in Colleg. Argent. l. 1. t. 4. th. 16.* Amplis. Dn. D. Hahn. *d. l. Conf. præfat. Novell. 17. & ib. Gotofr. lit. N. Rectius tamen Edicti vocabulo appellabitur, cum Princeps id proprio*
motu

motu ad subditorum utilitatem constituerit, l. 1. §. 1. de Const. Princ. &
ibi. C. A. t. b. 15. l. 3. C. de Legib. t. t. C. de Edict. D. Hadr.

IX.

Constitutiones porrò ratione Finis aliæ sunt Generales, aliæ
Speciales, §. 6. Inst. de Iure Nat. Gent. & Civil. Bachov. & Dn. D. Hahn.
ad Wes. d. loc. quæ posteriores ad consequentias non producuntur,
l. 14. 15. 16. ff. de LL. l. 1. §. 2. de Const. Pr. quia Princeps hoc non vult,
d. §. 6. vers. plane. l. de I. N. G. & Civ. vocanturque privilegia, quia con-
tra jus Generale constituuntur, l. 8. & 16. ff. de LL. Gell. 10. N. A. cap. 20.
quæ rursus in duplici sunt differentia, tribuuntur enim vel perso-
næ: Et ideo personalia vocantur, cujus exempla videre licet d. §. 6. de
I. N. G. & Civ. vel causæ: cujus exempla passim in jure occurrunt. tot.
tit. C. de privilegio dotis. item de Privil. Fisci. & c. Hoc tamen observan-
dum, quod Privilegia causarum, imitentur naturam generalis Con-
stitutionis, argumento: l. 68. & 196. de R. I. quo præmissis constitu-
tionem nostram generalem esse, certò asserimus.

X.

Scripta autem est illa non ad Lucianum, ut Cod. noster *Persona ad*
per describentium fortè legit incuriam, sed ad Albutianum (ut Cod. *quas rescri-*
Th. legit & Baronius ex eo notavit) Fuit is Præfectus Macedonum *pta est.*
Provincia Vicarius, hi cum à Principibus Præfectorum Prætorii
loco, in tractum seu diocesim, aliquot in se cõtinentem Provincias,
mittebantur, habebant à Principe jurisdictionem, dignitatemque
suam à Præfecto Prætorio (cujus vices sustinebant) participarunt,
l. 1. C. de offic. Vicarii. ac pari cum illis potestate in sibi demandata Pro-
vincia gaudebant, de quibus pluribus consule Dd. ad d. tit. C. &
Guid. Panciroll. in notit. Rom. Imperii. l. 1. c. 104. conf. & Novell. 70. c. 1. &
ib. Gotofr. Talis & hic fuit Albutianus apud Macedones, quo mis-
sus est, cum ii ab hoc tempore per annos penè CCCC XL. sub jugo
Romanorum fuissent; quem populum Nobilem & Imperii affe-
ctantem primùm fuisse testantur Justin. l. 33. Flor. l. 2. cap. 7. & 12.
Quare Romani, rebus in Italia compositis, primò omnium Mace-
dones semper reviviscentes bellis persecuti sunt, ac tertio tandem
penitus eos delevit Æmilius Paulus, unde nomen ei inditum Ma-
cedonici: Perseum namque vicit Regem eorum, qui à Mendacio
simulatae originis Pseudo Philippus dictus, quod Regiæ stirpis ori-
ginem ferebat, assumptis regni insignibus, sed brevi temeritatis
pœnas

pœnas dedit. Ipsum etenim simul cum tribus ejus filiis ante cur-
rum duxit Æmilius & ita Romam triumphator ingressus est, Ma-
cedoniaque Romanorum facta Proviucia. Plutarch. *in vita Æmiliæ
Pauli.* Velleius. *l. 1. cap. 11.* Justin. *l. 33.* Livius. *l. 44.*

XI.

Locus un-
de consti-
tutio hæc
emanavit
& tempus
à quo.

Locus in quo hæc Constitutio nata, seu Patria ejus est Thessa-
lia Metropolis, Thessalonica, Urbs Clarissima, de qua vide Vell.
Patercul. *l. 1. cap. 3.* & alios. Hodie eam Salonice appellare tradunt.
Ad sinum posita est Thermiacum, haut procul ab Echedorii flumi-
nis ostio, quæ primùm, autore Cassiodoro, à conditore Halia dicta,
post Philippus Amyntæ filius ei nomen à Regione dedit, cum is in
eius agro Thessalos ingenti clade profligasset: Locus est, quemad-
modum Historici testantur, amœnissimus, unde eorum nemora
nomine planè peculiari insignita crediderim, Tempe, Horat. *l. 1.
carm. ode. 7.* quæ Abr. Ortelius *in topogr. Theatri orbis terrar.* latius
describit. Quod verò Natalem Constitutionis huius attinet, non
vereor affirmare ex Cod. Th. *d. l. & Baron.* eam non esse Kal. April.
sed VI. diem Kal. April. Anno 380. est enim hoc sphalma tale, quod
vel curioso scribenti accidere poterit.

XII.

Modus
tractandi
materiã.

His ita prælibatis, plenis, ut ajunt, velis, rem ipsam aggredia-
mur; in qua, ut una fidelia plures dealbemus parietes, nec cram-
bem bis coctam apponere cogamur, rem ita moderari lubitum
est, ut analyticæ tractationi Syntheticam, pro legis, quam elaboran-
dam sumpsimus, ansâ, simul inseramus. Cum verò primùm se
offerat Subiectum Legis, quod positum est in verbis: QUADRA-
GINTA DIEBUS; Ea occasione de earum Definitione, Divi-
sione, & Origine, nonnulla poterimus præfari.

XIII.

Evolutio
Vocis Qua-
dragesimæ

Definitio est vel Nominis vel Rei. illa pro duplicibus subiecti
vocibus, dupliciter examinanda est: Nempe 1. in voce QUADRA-
GINTA. 2. In voce Diebus. Vocabulum QUADRAGINTA, di-
ctum est quasi Quater decem, adjectivum numeri Cardinalis. Græ-
cis τεσσαράκοντα. A Latino illo formarunt suum Galli Quarante,
Itali Quaranto. Hic numerus, si quid numerorum mysteriis cum
Pet. Bongo Bergomate & aliis adscribendum venit, plurimùm est
notabilis, & ut Philo *lib. quest. cap. 1.* tradit, nuptiarum hieroglyphi-
cus,

cus, tum in masculis tum in foeminis, cuius adferunt rationem, post Aristot. Physici: Quod eo anno Isaac Quadragenarius Rebeccam duxerit, *Genes. 25. com. 20.* Esau Quadragenarius Judithen uxorem, *Gen. 26. com. 34.* Idem hic numerus temporalem huius vitæ durationem ac totum præsentis seculi curriculum, quo hîc degimus, interdum insinuat, nam & XL. diebus cataclysmate totus terrarum orbis fuit inundatus, id quod præsentis huius temporis animarum diluvium præmonstrabit, quo gurgite, velut flagitiorum diversarumque voluntatum naufragis fluctibus submerguntur. Prosper. *de prædict. & benedict. Dei. cap. 8.* ita & Christi per XL. dies tentatio totum huius seculi tempus insinuat, quo Satanas Ecclesiam tentare nunquam desistit. Beda *in Matt. 1.* talia sunt ut plurima, quæ numerum hunc arguunt Hieroglyphicum. Conf. Salmeron. *T. 1. comm. H. E. prolegom. XXI. toto.* & Durand. *Rat. div. off. l. 6. cap. 28. n. 2.* Nec vacat, inquit, à Mysterio, quod XLVI. diebus à capite jejunii usque ad Pascha in abstinentia sumus. Nam post Babylonicam captivitatem XLVI. annis ædificatum fuit templum DEI, unde & nos post captivitatem Babylonis, i. e. confusionis vitiorum XLVI. diebus per abstinentiam & bona opera nosmet ipsos templum DEO ædificamus, conf. Durand. *d. l. 6. c. 32. num. 1.*

XIV.

DIES aliquando Naturaliter, aliquando civiliter computantur: *Evolutio* Eaque diei distinctio, 300. demum anno ab V. C. ad Romanos *Græcæ DIES* pervenit, quibus edocti noctem à luce distinguebant, XII. nocti horas, totidemq; luci, quam diem appellabant, tribuentes, cum ante LL. XII. tabb. non diei sed lucis usuras, Mane scilicet, Meridiem, Occasum & supremam tempestatem, distinguebant: Primitus autem ante illos 300. ab V. C. annos apud Romanos nullus erat horarum usus, ut autor est Plinius *l. 7. cap. 6.* Censorinus *de die natali. c. 19.* Varro *lib. 5. de Lat. Ling. & novissimè Joh. Freigius.* Ita dies continuâ serie numerabantur à nocte media præcedente ad mediam noctem subsequenter, quem diem Græci *νυχθημερον* vocant. Unde evenit, ut duplex diei consideratio, ut dixi, apud Romanos inuenta, Naturalis & Civilis, Cujac. *32. obs. 15.* Forner. *ad l. 2. §. 1. d. V. S.* post Alciat. ex Plinio *l. 2. cap. 77. & l. 18. c. 26.* A. Gell. *3. N. A. 2.* Macrobi. *1. Saturnal. cap. 3.*

B

XV. Na-

XV.

Naturalis itaque dies est tempus ab exoriente Sole ad Solis occasum, cuius contrarium est Nox ab occasu ad Solis ortum, de quo loquitur Paulus *in l. 2. §. 1. ff. de V. S.* isque unà cum horarum usu in Republ. inventus, XII. constans horis diurnis. Civilis verò Dies moribus antiquis introductus est, *Plin. d. l. 7. c. 77.* estque tempus, quod fit uno cœli circumactu computatione à momento in momentum factâ XXIV. horarum spacio, quod diem verum noctemq; simul complectitur, qua ratione, teste Servio, nox pars est diei, de qua Die Civili loquitur famosissima *l. more. 8. ff. de feriis.* Hujus usus præcipuus est in negotiis indifferentibus: illius in negotiis tantum diurnis *Cuiac. 32. obs. 15.* quos Civiles dies *Impp. in h. l. 6. C. de feriis* indigitant.

XVI.

*Quadra-
gesima Sy-
nonyma &
Aequivo-
catis.*

Quadragesima autem dies illi conjuncti dicuntur Quadragesima *l. 5. C. Th. de Quest.* & Dies Quadragesimales *Placent. ad t. C. de fer.* Ludovv. Rodolff. *tr. de modo vivendi in dieb. Quadrages.* & jejunium Quadragesimale; quæ vocabula passim apud Canonistas frequentantur. Crantzius *in Vandalia* nominat eos, dies Religiosos, *l. 4. c. 28.* ex quibus observatu dignum est, vocabulum Quadragesima absolutè positum non semper feriatos hos denotare dies; sed & speciem esse Vestigialis, quæ non rerum venalium, sed litium, sive Summarum, de quibus litigaretur, fuit, uti Sueton. scribit. Hi Quadragesimales dies cum feriarum nomine veniant *Dn. D. Hahn. & Dd. passim*, priusquam de illis agamus, lubet in genere de Festis ac Feriis quædam præfari, cum optimus ac naturalissimus (ut ita loquar) cognoscendi rem aliquam sit modus, descendendo ab universalibus ad Particularia, à Genere ad Speciem; cum id omnibus suis speciebus communicetur, *Suarez. de LL. disp. 1. & 2. sect. 1.* & semper, ut ait *Cajus in l. 147. de R. l. Specialia Generalibus insunt, & in toto partem contineri, post Logicos vult Paulus in l. 113. de R. l. c. plus semper. 35. & 80. de R. l. in 6.*

XVII.

*Feriarum
Eruptio.*

Ferias alii à Fando derivant, alii à foro quasi d. fœria sive foëria h. e. extra forum, à quo vacationem præstant *l. 9. ff. de feriis.* ut *Placent. & Azon in summ. super Cad. h. t. opinantur.* & *Host. in summ. n. 1. extr. cod.* Ego potius dictas putarim à feriendis seu mactandis hostiis seu

seu Victimis; cum Damhauđ. *prax. civil. cap. 119. num. 3.* & Ummio
disp. 7. thes. 8. his enim diebus litare solebant, unde & ipsæ hostiæ
feriæ dicuntur Gell. 2. N. A. c. 2. Weseñb. *parat. D. de fer. num. 2.* Brisson.
lib. 1. formul. id quod confirmat Varro, Festus & alii scriptores,
testantes, quod in festis ut plurimum factæ sint epulæ ex pecorum
frugumque proventibus. Ita festa dicuntur convivia l. 4. C. de Pagan.
Attamen notatio prior magis convenit nostro proposito, quo *supr.*
cit. DD. forsan respexere; & si illam sequamur, intentioni nostræ
propius accedimus, ut putat *d. l. Umm.*

XVIII.

Festa Græcis variis sunt insignita nominibus: Dicta namque *Κυνόρυσια*
sunt *πανηγύρες, Ἱερομνῆαι, Θεοφανῆαι, Θεοξένια, ἑορταί*, ut ea nominibus
insignivit Pollux l. 1. *ἁπλῆ καὶ ἁπλῶν ἑορτασµῶν.* quæ quomodo differant
videatur Rodolph. Hospin. *de Origine Fester. pr.* Quæ cum à variis *Definitio.*
variè definiantur, sed, quod non sine modestia dixerim, insufficien-
ter; placet *ex l. 1. 2. 3. & 9. ff. de fer.* colligere perfectiorem, & dicere
Ferias in genere esse dies cessationis, tam ab operis, quam à foren-
sibus negotiis, nisi necessitas aliud suaserit: Vel, dies aut cultui di-
vino, aut colligendis fructibus, vel alii rei destinati, quibus omnis
iudicialis strepitus conquiescit, Cujac. *in c. ht.* & ex eo Beutherus
de Fest. cap. 2. th. 3.

XIX.

Feriarum ut apud antiquos varia fuerunt genera, ita pro va- *Divisio seu*
riis conceptibus, Dd. eas variè diviserunt, aliasque constituerunt *Species.*
Publicas vel Stativas, toti populo communiter celebrandas. E. gr.
Agonalia, Lupercalia, Saturnalia, Ferias Latinas, Sementinas: aliæ
fuerunt alicuius saltem collegii, aliæ & certis tantum familiis pe-
culiaries, ut Feriæ Claudia, Julia, &c. de quibus eleganter latius vi-
deri potest Macrobi. l. Saturnal. 16. Budæ. *in annot. ad Pand. Hottom.*
Rævard. l. 5. *variar. cap. 19.* Alii aliter eas distinguunt, ut Pet. Termin.
in process. jur. c. 18. & mirabiliter planè (ut ait Beuth. *disp. de fest. c. 3. th.*
3.) Placent. *in summa Cod. h. t. de fer.* quæ omnia latius persequi insti-
tuti rationem excederet. *vid. Weseñb. w. ff. h. t. & alii.*

XX.

Nos Jctorum, Imperatoriarumque Constitutionum legen-
tes vestigia dividamus Ferias *ex l. 26. §. 7. ff. Ex quib. caus. maj. & l. 3.*
B 2 C. de

C. de dilat. in ordinarias sive solemnes, & Extraordinarias seu Repentinas, quæ certæ non sunt, sed ex mera Principis voluntate pendent, & casu ita ferente, variis ex causis, repente indicuntur, puta ob rem publicè benè vel malè gestam; Adventum, Inaugurationem, Nuptias Principis; Hostilitatem, Seditionem, l. 1. & 4. l. 7. vers. nostris. C. de fer. l. 26. §. 7. & Ex quib. causis. maj. gl. in Clement. sape. ad verb. ob necessitatis. de V. S. Specul. de fer. Rævard. §. var. 9. Wel. & num. 3. h. t. C. I. A. eod. th. 4.

XXI.

A Feriis Repentinis veniamus ad Ordinarias & Solennes, quæ in plura membra iterùm abeunt. Aliæ enim sunt institutæ ob honorem, aliæ ob necessitatem. Harum numero veniunt primò Dies Caniculares, sive Feriæ Æstivales, ut eas appellat Gell. N. A. l. 9. c. 15. pro clementiori duriorive cujusq; anni aura, in usum mæsis ac vindemiarum autumnalibus fructibus colligendis diversimodè pro usu locorum institutæ, l. 2. & 7. C. h. t. l. 4. ff. eod. l. 7. pr. & de Offic. Proconsul. quæ tamen hodie certo tempore definitæ sunt. *Cammergerichts Ordnung. part. 2. t. 33. jus Provinciale Würtenb. t. de feriis. vers. ult.* Tales & sunt nundinæ celebriores, Principis beneficio statis temporibus acquisitæ, die *Messtage* / ut hodiè sunt *Francofurtenses* ac *Lipsienses* in Imperio celebriores, quo refer & privatorum locorum mercatus, *gemeine Messtage vnd Wochenmärkte* / quæ à nundinis illis ratione magnitudinis distinctionem habent. *l. unic. C. de nundin.* Sunt enim nundinæ magni mercatus, retrò mercatus quasi parvæ sunt nundinæ. *Pac. ἀνάλ. C. eod. Peretz. prælect. C. num. 1. eod. Cujac. 2. obs. II. Connan. I. com. lur. Civil. cap. 13. num. 2.*

XXII.

Aliæ denique feriæ solemnes in Honorem sunt institutæ vel **DEI**, vel **Hominum**. In honorem **DEI** festa celebramus, alia immobilia, alia verò mobilia, aliàs Dies Religiosi, *Atri*, & *verbannete Tage* / dicti. Immobilium festorum numero veniunt Dies Natalis & Epiphaniæ Christi, & Septem qui præcedunt, & Septem qui sequuntur, nec non omnia Apostolica festa, l. 2. & 7. C. h. t. Mobilium festorum numero veniunt XV. paschales dies l. 2. & 7. C. h. t. & XL. dies qui auspicio caeremoniarum Paschales tempus anticipant. *l. 6. C.*

l. 6. C. h. t. Hahn. not. Wes. de fest. n. 5. Umm. disp. 7. th. 8. n. 33. Donell. l. 24. c. 7. col. 2. Meierus in Coll. Arg. l. 2. t. 12. th. 4. c. 1. 2. 3. & fin. X. eod. c. 1. dist. 3. de consecrat. de quibus vid. Dd. Ruding. obs. sing. cent. 2. obs. 38. Schvvarman. l. 1. proceß. Camer. c. 25. de his tamen singulorum locorum statuta & longius & brevius tempus statuere possunt, Menoch. l. 1. de arb. iud. sent. cent. 1. cas. 30. num. 11. Marant. part. 4. dist. 16. num. 67. cum seqq. His haut ineptè inseri possunt dies, quos appellant interciolos, halbe Feyer und Bettage / item Dus Bett und Fasttage / quales singulis quadrimestribus celebrantur in Ducatu Brunsvicensi & Lunæburgensi, & per menses singulos dies Majorum precum Argentinae.

XXIII.

In honorem ac memoriam hominum, rerumque mortalium celebrantur etiam varia festa, ut dies Natalitii urbis Romæ, Constantinopoleos, Natalis Imperatoris, & quo is ad Imperium adscitus est, l. 7. C. h. t. itè alicujus Regis, Principis, Ducis, &c. Umm. disp. 7. th. 8. n. 36. Huc pertinet dies qui olim honori Magistratum vacabat Pr. Kal. Jan. l. 5. ff. h. t. sequenti namq; die Kalendis Januariis Consules Magistratum inibant. l. 36. ff. de cond. & demonst. Nov. 105. c. 1. itemq; Prætores, arg. d. l. 5. ff. h. t. Et Natalis Academiæ, qualis quotannis cum Panegyri in Academia ad Elimum Julia celebratur. Ita & annos Jubilæos celebramus, uti Jubilæus Evangelicorum primus, à reformatione per B. Lutherum anno 1517. factâ, Witebergæ Kal. Novembr. an. 1617. per publicam disputationem initium sumpsit, Helvic. Chronol. de anno 1617. Talis habitus fuit Witebergæ Jubilæus Anno 1602. in memoriam natalis Academiæ, quæ tum per annos steterat centum, erecta nempe ab Electore Sax. Friderico anno 1502. die Lucæ: Helvic. Chronol. d. anno 1617. Talis Romæ uti habitus fuit, anno præcedenti 1650. ita sæpius habetur ex instituto Bonifacii VIII. in annum quemque centesimum, quod tempus à Clemente V. ad quinquagesimum reductum est: Tandem Paulus II. & post eum Sixtus IV. singulari, ut ait, ovium suarum amore per motus, quo exoptatus ac sæpius animas earum nundinaretur, annum hunc quinquagesimum ad XXV. restrinxerunt. Sleid. hist. l. 21. Pet. Gregor. l. 2. c. 9. n. 3. Platina in vita Bonifacii VIII. Zvvingerus in theatro, vol. 27. lib. 3. sub verb. Jubilæus.

Definitio
sive descri-
ptio Feria-
rum Qua-
dragesi-
malium.

Quibus ita de feriis in genere præmissis, facile cuilibet colligere licet, tempus Quadragesimale jure meritoque earum feriarum numero venire, quæ in honorè DEI celebrantur. Meier. in Coll. Arg. l. 1. t. 12. §. 4. Hahn. in not. Vves. n. 5. de fer. Umm. disp. de fer. §. 8. n. 33. cōsule & sup. §. 22. Ideoque Sanctum ac Sacrum reputemus. Quare dicemus Quadragesimales dies esse Ferias, à Papa Telesphoro ad exemplum Christi institutas, & Imperatoriâ sanctione confirmatas, XL. diebus ante venerabilem Paschæ diem celebrandas, in quibus ob caeremoniarum auspiciū aliquot actus jurisdictionis exerceri prohibentur, quò, uti omnium rerum DEO debemus decimas, ita & ei decimas animiq; primitias solvamus, & ita effervescentes, circa vernum tempus cum primis, affectus refrenemus.

XXV.

Aliter id tempus describit Guil. Durandus Mimiatis Episcopus, in rationali divinor. officiorum. l. 7. c. 28. th. 32. n. 1. Quadragesima, ait, est numerus spiritualis pœnitentiæ, in qua jejunit Ecclesia & pœnitet de peccatis suis. Idem ibid. n. 12. Quadragesimale tempus est luctus ac pœnitentiæ tempus, ait.

XXVI.

Diversitas
Quadragesimarū.

Hoc tempus cum luctui sit ac pœnitentiæ dicatum, omnesque nationes Quadragesimam à XL. diebus vocent, nihilominus autem mirificè in eo variant: Demiratur Did. Covarr. l. 4. t. 2. cap. 20. n. 4. quomodo omnes in dierum numero sic variantes, Quadragesimam tamen jejunii tempus vocarint, id quod per varias nationes probatum ivit, testatus; Romanos tres continuas hebdomadas, Sabbatis & Dominicis diebus exceptis, jejunasse: Illyricos autem & cunctam Græciam, præter Alexandriam, omnemque Lybiam, Aegyptum & Palestinam sex hebdomadibus ante festum Paschæ jejunium continuasse, Quadragesimam id tempus nominantes. Alios rursus ante VII. hebdomadas jejunare cepisse: sicuti Constantinopoli & circum circa usque ad Phœniciam, tribus tantum hebdomadibus, quinos dies ex intervallo binis septimanis intermissis cibis se abstinentes, itidemque Quadragesimam tale tempus vocarunt; Montanista verò duabus. Hæc Nicephorus, post Socratem, cui convenire videtur Epiphanius contra Massalianos varios circa hæc jejuniorum tempora ri-

ra ritus commemorans. confer Magdeburgens. hist. Eccles. centur. V.
cap. 6. p. 686. & seqq.

XXVII.

Hæc autem inde exorta est diversitas, quod talium jejuniorum
tempus sine superstitionis legibus ordinis gratia liberè & dissimili-
ter servatum fuit, ne opinio necessitatis inde oriretur, q̄s. Auditus,
meditatio verbi, oratio & usus cœnæ Dominicæ, absque ullo cære-
moniali jejunio fieri non possent; Ita, Hieronymo referente, die
Dominico in multis Ecclesiis quotidie communicarunt, non ta-
men quotidie jejunarunt, id quod & historiæ ostenderunt, & testis
est Mart. Chemnitius, *vir b. m. pl. Reverendus, qui solus evictionem præ-*
stabit, in Exam. concil. Trident. part. IV. p. 781. b. à quo & Irenæi ver-
ba haut abludunt, qui ait: *Τῶν πάρα τὸ ἀκρίβες, ὡς εἰκὸς κρατέων τιμῶν*
καθ' ἀπλότηα καὶ ἰδιωτισμὸν Σωήθησαν εἰς τὸ μέλεια πεποιηκότων, quem lo-
cum Ruffinus & Musculus infideliter iuterpretati sunt; propius ad
veram eius sententiam accedit Christophorus Anglus inter-
pres, ita vertens: Varietas illa jejunii cœpit apud maiores nostros,
qui, ut conjectura assequi licet, non accuratè consuetudinem eo-
rum, qui vel simplicitate quadam, vel privata autoritate aliquid
statuissent, observarunt. Hunc locum pereleganter enodavit Vir
de Theologia b. m. meritissimus Chemnitius *d. l. p. 782.* qui testi-
monium huius adducit locum valdè illustrem de Ecclesiis orien-
talibus, qui extat in *Epist. Irenæi ad Victorem Roman. Episcopum,* cu-
ius fragmentum extat apud Eusebium *l. 5. c. 24. & 26.* In forma
ait: seu modo jejunii Paschalis magna est diversitas seu observatio-
nis dissimilitudo, quidam enim unum diem ante Pascha jejunant,
quidam duos, alii verò plures dies, alii XL. diurnas & nocturnas
horas supputantes pro die. Et hæc ποικίλια seu diversitas observa-
tionum jejunii, non tam nostra ætate primùm cœpta & inducta est,
sed longè antè, illorum scil. tempore, qui ante nos fuerunt: [Hic
obiter observandum ex Rhenano *in præfat. ad Eusebium,* locum
hunc Irenæi, esse in Codice Græco. nam in Latinis Eusebii Codicibus
aliter paulò legitur, imò & apud Nicephorū non sic planè è Græco
in Latinum versum fuisse, meminit & D. Basilius *in Homilia contra*
ebriosos, seu, ebrietatem ieiunii VII. hebdomadarum ante diem Resurre-
ctionis Dominica.] Idem refert Nicephorus *l. 11. c. 24.* Hæc res, ait:
postea in consuetudinem abiit, & jejunium Quadragesimale hinc
natum

natum est, quod hodie pro articulo fidei obtruditur Ecclesiae: con-
sulantur pluribus Augustin. Ep. 118. c. 4. Sozom. l. 7. c. 9. Ambros.
lib. de Elia & ieiunio, c. 10. it. de Quadrages. sermon. 25. & 34. Edit. ve-
teri. & post eos Baron. tom. 1. An. Chr. 57. n. 97. 98. 99. item Chemnit.
in Ex. concil. Trid. p. 784. & seqq. qui omnem persequitur historiam,
quomodo jejuniorum superstitiosa ac rigida observantia à Monta-
nistis, Priscillianistis, & aliis in Ecclesiam introducta, sit oppugnata,
& tamen sanus & moderatus eorum usus contra adversarios, pro-
pter Christianae libertatis tutelam, propugnata & defensa.

XXVIII.

Haut possum temperare mihi, quin satis difficilem elegantem
tamen locum ex Socratis lib. 5. cap. 22. in medium adferam, ubi ait:
ἀλλίκα τὰς πρὸς τὸ πᾶσα νηστειὰν ἄλλως παρ' ἄλλοις φυλαττομένας ὅτιν ἐυρεῖν. οἱ
μὲν γὰρ ἐν Ῥώμῃ, τρεῖς πρὸς τὸ πᾶσα ἐβδομάδας πλὴν Σαββάτου καὶ κυριακῆς, Ῥωμαί-
μηναι νηστειῶσιν, οἱ δὲ ἐν Ἰλλυριοῖς καὶ ὅλη τῇ ἐλλάδι καὶ οἱ ἐν ἀλεξανδρείᾳ, πρὸς ἐβδο-
μάδων ἕξ, πλὴν πρὸς τὸ πᾶσα νηστειὰν νηστειῶσιν τεσσαρακοσίων αὐτῶν ὀνομάζοντες.
ἄλλοι δὲ πρὸς τὸ πᾶσα τέτταρες. ἄλλοι πρὸς ἐπιπέτην τῆς ἑορτῆς ἐβδομάδων τῆς νηστειᾶς ἀρχό-
μενοι, καὶ τρεῖς μόνους πενθημέρους ἐν διαλημμάτων νηστειῶσιν ἐδὲν ἡπτόν καὶ αὐτοὶ
τεσσαρακοσίων τὸν χρόνον τέττον καλεῖσιν, καὶ θαυμάσαι μοι ἐπίσει, πῶς ἔτοι πρὸς
τὸν ἀειθρὸν τὸν ἡμερῶν διαφωνεῖτες, τεσσαρακοσίων αὐτῶν ὀνομάζουσι, καὶ ἄλλοι
ἄλλον λόγον τῆς ὀνομασίας ἐγερσιλογεῖτες ἀποδιδόασιν. ἐστὶ δὲ ἐυρεῖν ἢ μόνον πρὸς τὸ
ἀειθρὸν τῆς ἡμερῶν διαφωνεῖτας, ἀλλὰ καὶ πλὴν ἀποχρῆν τῶν ἐδεσμάτων, ἔχ' ὁμοίαν ποιου-
μένους. οἱ μὲν γὰρ πᾶντ' ἐμφύχων ἀπέχον, οἱ δὲ τῶν ἐμφύχων ἰχθύς μόνους μέλα λαμ-
βάνουσι. τινὲς δὲ σὺν τοῖς ἰχθύσι, καὶ τῶν πλωτῶν ἀποχρῆν, ἐξ ὕδατος καὶ αὐτὰ καὶ
τὸν μωυσέα, γεφυρῶν λέγοντες. οἱ δὲ καὶ ἀκροδρυῶν, καὶ ὠν ἀπέχον. τινὲς δὲ καὶ ξη-
ρῶν ἀρτε μόνους μέλα λαμβάνουσι. ἄλλοι δὲ ἐδὲ τέτταρες. ἕτεροι δὲ ἀχεις ἐννάτης ὥρας νη-
στειῶσιν, διάφορον ἔχει πλὴν ἐστίασιν. ἄλλως τε παρ' ἄλλοις φύλοις καὶ μυθεῖαι αἰ-
τίαι εἶσαι τυγχάνουσι. καὶ ἐπίδ' ἐδὲ πρὸς τὸ πᾶσα ἐγγραφὸν ἔχει δεῖξαι πρὸς ἀγγελμα-
θῆλον ὡς καὶ πρὸς τέτταρες τῆς ἐκάστον γνώμη καὶ παλαιῆσιν ἐπέτρεφαν οἱ ἀπόστολοι. ἵνα
ἴκασθ' μὴ φόβω, μὴ δὲ ἐξ ἀνάγκης τὸ ἀγαθὸν κειραζοίτο. τοιαύτη μὲν καὶ πρὸς νη-
στειῶν διαφωνία καὶ τὰς ἐκκλησίας ὅτι. Hic locus ex interpretatione Chri-
stophorsoni ita habet: Jejuniorum rationem, quæ ante Pascha fiunt,
aliter ab aliis observatam esse, facile est reperire. Nam qui sunt Ro-
ma tres septimanas ante Pascha, Sabbato & Dominica exceptis, si-
mul jejulant: qui autem in Illyria & tota Gracia, quique Alexan-
dria habitant, ante sex septimanas jejunia quæ ante pascha fiunt, or-
diuntur, illudq; tempus Τεσσαρακοσίων Quadragesimam nuncupant.

Alii

Alii præter harum consuetudinem, septem septimanas ante illud festum jejunandi initium facientes, quamvis quindecim dies solum, quibusdam intervallis interpositis jejunent, nihilominus tamen tempus illud Quadragesimam vocant. Unde non mediocris me capit admiratio, qua ratione isti, licet de numero dierum dissentiant, omnes eodem nomine Quadragesimam appellent. Alii aliam causam huius nominis suo apte ingenio excogitare tradunt. Quin etiam non de numero dierum solum discrepant, verum etiam de abstinentia à cibis variam sequuntur rationem. Nam alii omnino ab animantium genere abstinent; alii inter animantia pisces solos comedunt; alii cum piscibus volucres etiam manducant, easque ex aqua (ut est apud Moysen) nasci asserunt. Alii à fructibus duris integumentis involutis & ab ovis temperant: alij arido pane solo vescuntur: alij ne illo quidem. Sunt, qui cum ad horam nonam jejunaverint, variis ciborum generibus utuntur. Alia ratione apud alios gentes jejunatur: cujus rei sunt causæ propè infinitæ. Ac quoniam nemo de ea præceptum, literarum monumentis proditum, potest ostendere, perspicuum est, Apostolos liberam potestatem in eadem cujusque menti & arbitrio permisisse, ut quisque nec metu, nec necessitate inductus, quid bonum sit ageret. Hanc disparem jejuniorum rationem, in Ecclesiis esse cognoscimus. Hunc locum Socratis repetit Cassiodorus *in l. 9. Hist. Tripart. c. 38.* & Nicephorus Callistus *Hist. Eccles. lib. 12. cap. 34.* Dan. Chamier *Panstratiæ Catholicæ Tom. 3. lib. 9. cap. 7. num. 23. & seq.* locum Socratis egregiè contra exceptiones Bellarmini vindicat. Et ex Umberto, Innocentio, nec non Francisc. Torrensi *in lib. de canonibus Sextæ Synodi c. 55.* cumulant similia Did. Covarruvias *l. 4. tom. 2. c. 20. num. 5. vide itém Mart. Chemnit. part. 1. Exam. concil. Trid. p. 81.* ex quibus colligere evidenter licet, quemadmodum Ecclesia subinde circa hanc feriarum determinationem variârit. At licet de usu Quadragesimalis observationis, diversæ fuerint diversarum Ecclesiarum consuetudines: Omnes tamen in id tempus consenserunt, ut certa anni tempora, quæ sanctum præcurrunt Pascha, jejuniis celebrarent. Baron. *t. 1. anno Chr. 57. num. 98.* Caterum nec vel minimò lædi fidem diversis istis variisque Ecclesiarum consuetudinibus, tradiderunt. Hieronym. *Ep. 28. infr.* Augustin. & Gregor. *l. 1. Ep. 41. ad Leandrum.*

C

XXIX. Mi-

XXIX.

Mira quidem videri poterant, sed non nova tamen: at majora sunt his quæ Gregor. Nazianzen. de inhabitantibus Ponticam solitudinem Monachis sui temporis *ad Hellenium* scribit; Complures ex illis fuisse qui totos XX. dies totidemque noctes à cibo abstinerent, dimidia ex parte Christi jejunium imitantes, ex iisque unum sui gregis ovem fuisse testatur. Et Augustin. *ad Casulanum pag. 86.* Nonnullos suo tempore repertos, qui ultra hebdomadam perpetuum servassent jejunium, se novisse tradit, atque addit: Ad ipsum quadragenarium numerum pervenisse quendam, à fratribus fide dignis nobis adseveratum est. Observarunt & olim Hebræi quædam jejunia, quorum mentio fit *Zacharia 8. conf. ad d. cap. 8. D. Hieron.* eaque traduntur à Gratiano *c. huius 6. & cap. jejunium 7. dist. 76.* & à D. Toma *secunda. secunda. q. 147. art. 5.* qui hujus magni jejunii & aliorum rationem reddit. Et sic pro instituti ratione sat de Veteris Ecclesiæ jejunii Quadragesimalis celebratione, ejusque variatione ex auctoribus, quos aliis censendos relinquimus, retulisse sufficiat: Quia tamen Pontifices in Quadragesimis constituendis multum laborarunt, è re fuerit, quas de hac Quadragesima celebranda Romani Pontifices in lucem protulerint constitutiones, breviter annectere.

XXX.

*Efficiens
Quadragesimarum.*

Princeps & Primus Pontificum, qui de hoc tempore constitutionem emisit, est Septimus à Petro, (si Covarruvix credendum *l. 4. t. 2. c. 20. num. 6.*) Telesphorus, qui simul discrimen fecit inter Quadragesimas Clericorum ac Laicorum. Horum enim Quadragesima incipiebat à Dominica Invocavit seu Quadragesima, Sex septimanas ante venerabilem Paschæ diem *c. quadragesima. 5. dist. 4. gl. ib. Baron. t. 2. anno Chr. 154. num. 2. Euseb. in Chron. Platina in vita Telesphori.* quo respicit & Rod. Hospiniani locus *in lib. de Origin. fest. Christ. p. 40.* ab hac verò distinxisse dicitur Quadragesimas Clericorum, quorum sicut vita, cum discreta esse debeat à conversatione Laicorum, ita & in jejunio debet esse distinctio, itaque statuit, ut omnes clerici in sortem domini vocati VII. plenas hebdomadas à carne jejunent. *c. 4. & 5. dist. 4.* Ut ita illi suas incipiant Quadragesimas à Dominica Quinquagesima, quo die incipiunt

1750
cipiunt Clericorum seu Dominorum Bachanalia, Germ. vulgò dicitur Herrenfasten. Hospin. *de Orig. Fest.* p. 38. à quo tempore usque ad octavas Paschæ, caussas non audiendas esse in Erfurdiensi Synodo decretum fuit. *c. 15. q. 4. c. 2. placita.* sed Gratianum ista ex supposititia Telesphori epistola, apud Isidorum Mercatorem quæ extat, incaute excerpisse, eruditè notat Dav. Blondellus in Pseudo-Isidoro p. 183. & seqq.

XXXI.

Post eum seculo Christi IV. anno Chr. 313. Constituisse dicitur Miltiades (malè enim vulgò legitur Melchiades, Onuphr. Panvin. *in vita eius apud B. Platinam, quem is adornavit*) ne ulla ratione die Dominica aut Feria Quinta jejunium quis fidelium ageret *c. jejunium 14. c. ne quis. 15. dist. 3. de consecrat.* quia eos dies Pagani, quasi sacrum celebrant jejunium, Manichæi nempe, quorum hæresis in Urbe Romana, qua illi isthuc temporis abundabant, invaluerat. Platina. *in vita Miltiadis.* Baron. *tom. 3. anno 313. num. 48.* Ideo, ut XL. dies implerentur, placuit priscis, in redemptionem Quintarum feriarum Quadragesimæ addere unam hebdomadam in jejunio, & vocatum illud tempus Sexagesima. Hospin. *de Orig. Fest.* p. 36. num. 2. Sed & hic Gratianum supposititias arripuisse merces, vide apud Blondellum p. 246. & seqq.

XXXII.

Hunc præterea Miltiadem; cum illius successore Sylvestro, constituisse volunt Durandus *in rational.* l. 6. c. 24. Jacob. de Voragine *Legenda* 32. & Pet. de Natalib. l. 3. c. 45. ne in Sabbato jejunaretur, ne propter abstinentiam Sextæ natura nimis debilitaretur. Idem & Innocentium constituisse *d. l. testatur Durand.* quæ tamen omnia sine fundamento adferuntur, tacentibus de his, quicunque illa texuere tempora, scriptoribus. Imò Innocentium prorsus docuisse contrarium, ejus testatur *Epist. 1. ad Decentium c. 4.* quæ relata extat *dist. 3. de consecrat. c. Sabbato 13.* Attamen aliud ex Augustino intelligimus, quod nempe Asiatici aliique nonnulli occidentales, ex Apostolorum quadam traditione & libera sua voluntate, Sabbatis non jejunârint: in suppletionem igitur seu redemptionem septem illarum dierum adhuc unam addidêre septimanam quam

Septuagesimam nominârunt, quod citatos Autores seduxisse ar-
bitratur Hospin. d. tr. p. 32.

XXXIII.

Tandem Gregorius M. LXVI. (ex B. Platinae computo) Papa, eam, quam Telesphorus dedit constitutionem de Bachanalibus Clericorum in Dominica Septuagesima, ex ante laudata ratione, quod in Romana Ecclesia Clericorum vita discreta sit à vita Laicorum, noviter edicendo repetit, in *c. denique sacerdotes. 6. dist. 4.* quæ tamen, ut & Edictum Telesphori, non observantes transgressionis reos haut arguit; quâ tum vis etenim hæc legibus ita constituta, attamen post eius promulgationem, utentium moribus approbata non sunt, ut Gratianus loquitur, id quod in legislatione omninò requiritur, *l. 32. §. 1. vers. nam cum ipse. ff. de LL.* Postea anno Imperii sui ultimo 604. referente Baronio, novam dedit ille Gregorius M. constitutionem, ut hoc jejunium inciperet à Feria IV. hebdomadis Septuagesimæ, à Die Cinerum, & terminaret in Sabbato proximo ante Pascha. Azor. *tom. 1. inst. moral. l. 7. c. 12. q. 2.* Auctor. *Microlog. c. 49.* Amalinus *l. 1. de Eccles. offic. c. 4.* Ita & consuetudine videmus observari ait St. Fagundez. *ad 4. præcept. l. 1. c. 5. num. 5.* Cur autem à Die Cinerum incipiat, ejus rei duplicem exponit rationem in *c. quadragesima 16. dist. 5. de consecrat.* quæ desumpta est ex *Homilia 16. super Evangelia Gregorii*, quarum prima est, ut redemptorem nostrum imitemur, qui XL. diebus jejunavit, hi verò non implerentur, nisi additis ex hebdomada Septuagesima quatuor diebus; à Die enim Sexagesima demptis dominicis, in quibus non jejunatur, ad Pascha sunt tantum dies XXXVI. quod advertit & Sigm. Scaccia *de iudiciis l. 2. c. 6. num. 5. & 6.* advertit tamen Decius in *c. ad audientiam num. 20. de Rescript.* quod Ecclesia Mediolanensis non acceperit illos IV. dies, quare, ait ille, quod *l. quadraginta dies C. de feriis.* considerarit dies tantum abstinentiæ & jejunii, quia Diebus Dominicis non jejunatur. Secundam dicit esse rationem, ut hoc jejunio dierum decimam singulis annis Domino observatione sancta offeramus. Vide clarius hæc expressa in *d. c. quadragesima.* & apud Burchard. *l. 13. c. 1.* Polyc. *l. 3. t. 25.* Ivon. *p. 4. c. 37.* Panorm. *l. 1. c. 182.* Covarr. *l. 4. t. 2. c. 20. num. 7.* Durand. *Specul. l. 6. c. 28. n. 3. 5. & 6.* qui tamen ait: Nos Provinciales (fuit enim Episcopus Mimatensis, non

1750
fis, non autem in Urbe Roma.) verò jejunium Quadragesimæ in præcedenti secunda feria inchoamus, & sic duos, ait, dies plus cæteris jejunamus. Clerici etiam in Quadragesima jejunium inchoare tenentur. Rationes Gregorii exagitat. *loc. cit. Chamier. n. 49. 50. 51.*

XXXIV.

Porro quæritur apud Moralistas, An non olim ante tempus D. Gregorii M. ab eadem feria Cinerum jejunium Quadragesimæ inceperit? Qui pro negativa urnæ calculum immittunt, & à Dominica *Invocavit* jejunium inchoasse concludunt, fundamentum figunt in *d. cap. Quadragesima.* ubi apertè deciditur, IV. dies antè Dominicam primam Quadragesimæ superadditos fuisse, ut omnes plenè jejunium observarent Quadragesimale; ex quo colligunt, à feria IV. Cinerum non inchoasse Quadragesimale tempus, sed ab ipsa Dominica Quadragesima seu *Invocavit*; quamvis enim eo die jejunium non observaretur propriè ac plenè, tamen impropiè ac semiplenè, quia jam in ea die carnes non edebantur, sed cibi Quadragesimales, quod jejunium Templenum & improprium appellabant. Stephan. Fagundez *super 4. Eccles. præcept. l. 1. c. 5. num. 6.* In qua sententia stat & Hospin. *de festis. p. 39.* Durand. *rat. div. offic. l. 6. cap. 28. num. 3.* testanturque Antoninus *t. 12. cap. 14. §. 14.* & Balæus *centur. 1. Scriptor. Britann. ubi etiam addit, Gregorium hoc Quadragesimæ jejunium aspersione cinerum sacrasse, & cinerum instituisse consecrationes: Quapropter Ille diei cinerum ac cæremoniarum, quæ illo die peraguntur, autor & institutor habetur.*

XXXV.

Contrariam huic alii fovent opinionem, statuentes semper à die cinerum hoc magnum jejunium Ecclesiam incepisse, *per cap. statuimus. distinct. 4.* quo præcepit Telesphorus, plenas hebdomadas Clerici jejunent, addit autem vocem τὸ ΠΛΗΝΑΣ, quia incipiebant à feria IV. cinerum jejunia; si enim non incepissent à die cinerum, sed vel à Dominica *Invocavit*, vel à proxima immediata, non essent plenæ XL. dies, nec plena Quadragesima, sed tantùm dies XXXVI. demptis diebus Dominicis, quibus autem additis, supersunt duo dies, ut nec utraque ratione numerus quadragenarius possit impleri, Fagund. *d. loc. num. 7.* Alterum quod habet ar-

C 3

gumen-

Q.
De Die Cinerum.



gumentum, est desumptum ex Augustino, ex sermonibus eius de tempore. cuius sermo unus inscribitur in Feria IV. cap. Ieiunii. quem postea sequuntur alii sermones in Feria V. & VI. & Sabbato eiusdem Septimanæ Septuagesimæ: hic autem Augustinus longè floruit antè Gregorium, seculo quarto, Anno Chr. 91. idemq, colligi potest ex Homilia quadam Maximi, Taurinensis Episcopi, cuius inscriptio est in die cinerum, quam invenies inter Hiemales eius Homilias. Hospin. dict. tract. p. 39 Tametsi sermones de tempore S. Augustino sine fundamento adscribi notetur à Roberto Coco de script. Apocr. pag. 177.

XXXVI.

Rem in suspenso relinquit Fagundetz d. l. dum ait: Quicquid sit de his opinionibus verum, certum est hodie jejunium incipere in die Cinerum & terminari in Sabbato proxime ante diem Paschæ, quod alii, olim terminatum dicunt in feria Vta. cœnæ Dominicæ hebdomadis Magnæ & Sanctæ. Si autem incipit à Dominica Quinquagesima, hæc terminatio minime admittenda est per c. non licet 7. & non oportet 8. dist. 3. de consecrat. quod idem statutum est in concilio Bracharensi l. cap. 50. & Toletano VIII. c. 8. in Laodicensi c. 5. apud Burchardum l. 13. c. 8. Covarr. variar. resol. l. 4. t. 2. c. 20. n. 4. Hæc autem Pontificum statuta eatenus saltem, quatenus communi usu approbata sunt, valent: salvam enim per DEI gratiam habentes Christianam libertatem, nostram in Adiaphoris & Ecclesiarum cæremoniis, jejunium utile & salubre quidem statuimus, cum Paulo 1. Cor. 7. v. 5. Chemnit. Ex. concil. Trid. part. IV. p. 745. a. in fin. accedentibus & aliis Scripturæ dictis, Matth. 6. & 9. & 17. 2. Cor. 6. Itemque illustribus Sanctorum exemplis ex S. Scriptis, Iudic. c. 20. 1. Reg. 3. 2. Reg. 1. 3. Reg. 21. 2. Paralip. 20. 1. Esdr. 8. Esther. 4. Nehem. 1. Jerem. 36. Daniel. 9. & 10. Iona. 3. Iudith. 4. & 8. Baruch. 1. 1. Machab. 3. 2. Machab. 13. Actor. 13. Non verò eò quo Romanenses modò necessarium; sic ut absolutam ad salutem necessitatem, certumque temporis terminum illi attribuamus, cuius omissio æternam adferat cruciatum. Quam moderationem etiam, vacua à superstitione Antiquitas, tenuit: Extat enim locus Augustini ad Casulanum Presbyterum, qui ita habet: Si autem (quoniam huic quantum potui sufficienter respondisse me puto) de hac re sententiam meam quaeris:

ris: Ego in Evangelicis & Apostolicis literis, totoque instrumento quod appellatur Testamentum novum, animo id revolvens viderè à Domino & Redemptore nostro J E S U C H R I S T O præceptum esse jejunium generali quodam præcepto: Quibus autem & quot diebus jejunare teneamur, nec præcepto Domini vel Apostolorum definitum est, idque antiquitatem totam sensisse maximæ veritatis est, & nos edocet imprimis, qui citatur, Irenæi locus apud Eusebium *histor. l. 5. cap. 24.* ibi: Atque huiusmodi eorum qui observabant jejunia varietas ac discrepantia, non nostra ætate (vixit penè seculi secundi decade annorum LXX. & LXXX.) cœpta est, verùm etiam longè antè apud Majores nostros, qui (ut conjectura assequi licet) non accuratè consuetudinem eorum, qui vel simplicitate quadam, vel privata autoritate aliquod imposteriorum tempus statuissent, observârunt. Atque nihilominus cum isti inter se pacem ac tranquillitatem retinuerunt, tum etiam inter nos retinemus: sicque varia ac discrepans jejunii ratio fidei concordiam plurimum commendavit. *Huc usq; de his Irenæus; pro quo contra Bellarminum vide D. Chamier l. 5.* Nec olim ita superstitiosè observata fuisse, ut hodie à Pontificiis, jejunia, ex historia Juliani, qui prolixa hodierna jejunia Christianis obiicit, testatur Nazianzenus in *orat. informatrice in Iulianum.* videantur & Magdeburgenses *histor. Eccles. cent. 4. c. 6. p. 440.*

XXXVII.

Ex his quæ de variis Quadragesimarum speciebus differuimus, *Origo harum feriarum.* quadantenus colligere licet, unde Quadragesimales Feriæ suam sortiantur originem; Haut tamen inutile futurum reor, cum super ea re multi, & celebrati ab eruditione Viri, dissentiant, illud exponere paulò nervosius. Alii namque feriarum istarum originem ex Jure divino accersunt; Alii ex hominum instituto dependere acriter contendunt. Ac quod ad originem genericè dictam attinet, negari non potest, Pontificios communiter asseverare, jejunium hoc XL. dierum illam ex Jure divino habere. Testari id sacrum Codicem, tum veteris, tum novi Fœderis. *Exod. 24. v. 18. & 34. v. 28. 3. Reg. 19. v. 8. & exemplum Salvatoris nostri J E S U C H R I S T I, Matth. 4. Luc. 9.* Accedere & sanctorum Patrum testimonia, quæ tamen necessitudinis legem severius ad temporis atque dierum defensionem induunt, veluti *D. Ambrosii serm. 25. & 34. Quisquis, inquit ille, Chri-*

Christianus consecratam jejunando non implevit Quadragesimam, prævaricationis ac contumaciæ tenebitur, quod Legem divinitus datã, prandendo rescindit. Et D. Maximi in *Hom. de jejun. Quadrages. 1.* Quadragenarium jejunium, inquit, non tam ab hominibus institutum, quàm à Deo consecratum & cœlesti Majestate præceptum. Et Augustin. in *Psal. 100.* paulò post initium: Præcipitur, inquit, nobis Quadragenarium jejunium, & ex Lege, & ex Prophetis, & ex ipso Evangelio. Adducitur in eam sententiam etiam August. *ep. 119. c. 15. ad lanuar. & serm. 1. fer. 4. post Dominic. Sex.* Leo Papa *serm. de Quadragesim.* Beda *serm. de adscens.* Theoph. Alexandr. *de Pascha lib. 3.* Hieron. *epist. ad Marcell.* Sed textus illorum Patrum partim supposititios esse, partim impertinenter allegatos docet, supra laudatus Dan. Chamier *l. cit.* Adde de loco Ignatii, Nic. Vedel. *exercitat. X. cap. 3. pag. 51. & c.*

XXXVIII.

Itaque si Principium à Principiato, Efficientem à Formali & Quæstionem an sit, & quale sit, ut oportet, discernamus, cum *Ampliss. Dn. D. Biccio in syllog. rer. quotidian. preloq. thes. 32.* fateri cum omnibus Theologis atq; Canonistis cogimur institutionem esse Juris humani ab Ecclesia post tempora Apostolorum mandata, & Jure demum Canonico præceptam celebrari. Ita statuit Durand. in *4. distinct. 15. quest. 4. art. 3. concl. 3. Major. quest. 4. conclus. 3.* Gabriel. in *4. distinct. 16. quest. 3. artic. 1. notabil. 2.* Adrianus in *4. de confessione, quest. 1. §. & alii probant. vers. nec videtur tertium.* Angl. in *verb. jejunium, num. 7.* Sylvest. *ib. quest. 1. vers. quibus à diebus ex mandato Ecclesia.* Navarr. in *manual. cap. 1. num. 12.* Medina in *tract. de jejunio, quest. 2.* Ledesma in *4. part. 2. quest. 17. art. 2. dub. 1.* Azor. *t. 1. Instit. moral. cap. 12. l. 7. quest. 1.* Conjectura ergò utitur, cum Hieronymus *ad Marcell.* Nos, ait, unam Quadragesimam, secundum Apostolorum traditionem, in toto anni tempore nobis congruo jejunamus, & planè divinatorem agit Gu. Durandus *raional. l. 6. cap. 28. num. 2.* Petrus, ait: primò instituit jejunium Quadragesimæ antè Pascha, & Paul. Layman. *Theolog. morali. tract. 8. c. 2. num. 1.* Hoc tempus, ait: ab Apostolis est institutum, quibus addit Covarr. *var. resol. d. l. 4. cap. 20. num. 4.* ad exemplum Christi. Idem *d. loc.* ait: Ecclesia Catholica ab initio legis Evangelicæ quibusdam diebus jejunia Christianis præcepit, & lege lata induxit, quod præter

præter alios suæ sectæ Dd. probant, & præsertim D. Thomas *quest.*
147. *artic.* 4. & *in sentent. distinct.* 15. *quest.* 3. Cassianus *collat.* 21. c. 30.
& alii *passim.*

XXXIX.

Nec levibus hi Autores qui institutionis divinæ jejunium Qua-
dragesimale negant, utuntur argumentis: initio observant & indu-
cunt factum ipsorum Pontificum, quia *passim* vident Romanos
Pontifices in Quadragesimali jejunio dispensare, quod haut liceret,
si hoc jejunium esset absolutè de Jure divino. *argum. cap. Ne Roma-
ni. Clem. de Elect. jung. tradita à Covarr. de Sponsal. & alius qui de dis-
pensatione agunt.* Quare ab alijs primùm, ad imitationem Christi
hoc dicunt institutū jejunium, quandoquidem illud exemplum de
jejunio Domini nostri JESU CHRISTI non significat præceptum;
alioquin nihil omninò foret comedendum in his XL. diebus, ad
imitationem Christi: Itaque radices hoc jejunium tantùm habet,
non autem formale fundamentum, in Jure divino, &, ut ait Au-
gustin. *ad Casulan.* in Lege Evangelica præceptum jejunium, non
cum certarum dierum determinatione, quod ex eo notavit Covar-
ruvias *d. l. hoc postea Ecclesiam, Apostolorum tempore* (ita quidem
ille, sine testimonio certo) decrevisse, & assignasse dies Quadrage-
simæ, propter exemplum Christi, in quibus jejunare teneamur,
idque etiam præceptum esse à Gregorio M. *cap. Quadragesima. de
consecrat. distinct. 5. cap. non licet. 7. eod. dist. 3.* Fatentur & hoc, Ec-
clesiam Pontificiam consuetudine demùm induxisse, contra supe-
rius adducta loca *cap. placuit. distinct. 3. de consecrat. cap. jejunium.
cap. ne quis. eod.* Lud. Rodolf. *de Sabloneta tract. de mod. viv. in dieb.
Quadrages. num. 3.* ne per istud tempus Quadragesimale, diebus Do-
minicis carnibus vescamur, ut patet ex more & consuetudine Ec-
clesiæ notabiliter observata, & tradit Steph. Fagundez *præcept. IV.
l. I. cap. 5. num. 5.* his jungantur & Bellarm. *t. 4. controvers. l. 2. c. 14.
15. 16.* & Vorst. *Anti-Bellarm. eod. l. 2. ad Thessal. 6. 7. 8. 9. 10.* Cal-
vin. *l. 4. Instit. Anton. Mornac. ad l. 6. C. de Feriis.* qui & de Origi-
ne hujus differunt.

XL.

Rationem inducendæ Quadragesimæ hanc afferunt, quod in
Lege veteri præceptum, decimas DEO & primitias de omnibus bo-
nis reddi, conveniens ideo fuit, ut & decimas ingeniorum ac mentis

*Causa
propagag-
dixi Gra-
tio indu-*

D

Divinæ

*endarum
harum fe-
suarum.*

Divinae Maieitati darent, scilicet de corpore, de mente, de tempore, quod factum bona operando. Ludovicus Rodolfin. *d. tract. num. 1.* Durand. *rational. lib. 6. cap. 28. n. 3.* Johan. Beleth. *in rat. divin. offic. cap. 10.* per dies XL. quæ sunt dierum decimæ totius anni, constantis diebus 365. *c. quadragesima. distinct. 5. de consecrat.* Covarruv. *l. 4. t. 2. cap. 20. num. 7.* Addunt & aliam rationem ab exemplo Salvatoris nostri petitam, qui XL. diebus & noctibus jejunavit, quod cum ob naturæ defectum adimplere nemo hominum (citra miraculum) possit, saltem quadantenus imitari Christiani studeant: Et quia instante & urgente necessitate ac fame non possimus expectare, ut verè dies finiatur: expectemus saltem ut fictè finiatur, nam fictus dies & naturalis dicitur & expletus post horas diurnales, quæ in die celebrantur, Cuiac. *32. observ. 15.* reliquum verò tempus eius diei secundum canonicam supputationem adicitur sequentis diei principio, ut ait Archidiacon. *in cap. solent. de consecrat. dist. 1. num. 2. vers. sed quare. & ibid. Bellem. sub num. 2. & Joh. Turrecrem. sub num. 2. in fin.* Henricus Boich. *in cap. 1. sub num. 12. vers. & ratio. de observat. jejunii. & Abbas in rubr. sub num. 2. eod. tit.* Rodolfin. *d. tract. num. 8.* Cuius verò sint momenti illa inductiva, prudenter expendit Dan. Chamier. *d. loc.* Andreas Rivetus *Cathol. Orthod. T. 1. tract. 2. quest. 10. pag. 387. & seq. ubi etiam de l. Quadragesima diebus disserit.*

X L I.

*Cur verno
tempore ce-
lebrentur
Quadragesima.*

Vernum verò tempus Ecclesiam illam huic jejunio destinasse ferunt (non verò ipsum illud tempus, quo Christus jejunavit, licet ipsius actio (sed moralis, non supernaturalis & miraculosa, aut etiam speciatim officialis) nostra debet esse institutio, uti loquuntur Theologi) quia in Quadragesima populum Israëliticum representare voluerit, qui XL. annis in deserto fuit, & statim post celebravit Pascha: Urgent & hoc; quod homines verno tempore naturaliter ad libidinem commoveantur, ad quam restringendam hoc jejunium inductum sit, Durandus *l. 6. cap. 28. num. 6.* Imò cum & notum sit, ait Covarruv. *d. l. num. 7.* hoc tempus esse, quo per totum mundum sæviante Diabolo acies Christiana debet conflagrare, ut si quis desidia tepidos aut sollicitudo habeat occupatos, nunc oportet armis spiritualibus instrui, & cœlesti tubâ ad ineundum certa-

certamen accendi : Adfertur & alia porro ratio ex D. Hieronymo
in serm. de Quadrages. (qui tamen sermo Hieronymo falso tribuitur,
 etiam Mariano non diffidente. Vide Cocum p. 161. & Rivetum *in*
Critic. S. p. 379.) ut scilicet passionem Christi, nec non admirabilem
 eius resurrectionem, sanctum hoc jejunium præcederet, & capiti
 nostro per carnis afflictionem adsimilati sanctius ac purius, & re-
 liquiis peccatorum purgati mysteria redemptionis & resurrectio-
 nis nostræ recolamus, cum resurrectio sit illustrissima, omniumque
 festivitatum antiquissima, quas Ecclesia celebrat Catholica, quod
 maximè movere nos debet, cum videamus & Gentiles religionis
 causa, ut sanctius sacrificia celebrent, jejunia quædam observasse,
 ut constat ex Plutarcho *in Demosthene*, & his quæ de Diis Genti-
 lium tradit Gregorius Gyraldus *Syntagm. 17. pag. 715.* qui rursus
pag. 740. refert Ægyptiorum ritum, qui pridie celebritatis aut festi
in Ægyptis, ut Græci dicunt, jejunabant. Idem Gyraldus *in Syntagm.*
12. scribit, In Gereris honorem jejunia quædam ab Ethnicis insti-
 tuta fuisse. Quo magis, *aut porro*, Christianorum mirabimur au-
 daciam, socordiam, & in rebus Divinis multis modis exprobran-
 dam segnitiam, qui jejunia, tot justis de causis ab Ecclesia in no-
 stram utilitatem nobis indicta, vel omittamus facillimè, vel ea
 observemus ita licenter, ut nulla in cibo & potu abstinencia verè
 reprehendi vel minima ex parte possit. *Hac ille.* Cui, si rationem
 meriti & opinionem necessitatis, itaque autoritatis Apostolicæ
 allegationem omittat, & Christianæ libertati frænum nullum inji-
 ciat, jejunium autem pro excitemento ad devotionis exercitia, circa
 sanctissima mysteria censeat, meritò pii assurgunt.

X L I I.

Discussio nunc pro instituti ratione legis nostræ subjecto, ut sic
 dicam, Materiali, progrediendum nobis esset ad subjecti Formale,
 quod ex verbis: QUI PASCHALE TEMPUS ANTICIPANT:
 inclarescit, eaque occasione etiam de ipso venerabili Paschatis Festo
 (quod *κατ' ἐξ' ἑξ' ἡμέρας* Festum appellat Grotius *in N. T. ad Matth. cap. 27.*)
 aliquid disserendum esset: ne tamen extra oleas & circa τὸ πάσχα
 nimis versemur, id hac vice silentio prætereuntes, omnes materiæ
 huius scientiæ cupidos, remittimus ad eos, qui hac in re prolixi
 sunt, ut eleganter St. Fagundez *Pr. III. lib. I. cap. 5.* & Juris Canonici
 Dd. Pa-

*De subjecto
 Legis for-
 mali.*

*De Feste
 Paschatis.*



Dd. Panormit. Cardinal. *clem. 1. de privileg. quest. 11. & alii*, nec non Did. Covarruv. *l. 1. t. 2. cap. 17. num. 1. de Decimis*. Rodolff. Hospin. *de orig. Fest. Christ.* Durand. *passim*, Maior. *in cap. 4. dist. 17. quest. 2.* Navarr. *in manual. cap. 21. num. 45.* Caietan. *in summa verb. commu- nio.* Ledesma *in 4. quest. 14. a. 3.* Soarez, *t. 4. part. 3. disput. 82. sect. 2.* Azor. *tom. 1. Institut. Moral.* Tolet. *lib. 6. cap. 11. §. vocamus.* nec non Paul. Germanus Foro-Sempronienſis, Johan. Stoflerus, & Petrus Cirvell. Barocensis Hispanus, ac præter hos Johannes Lucidus *in Emend. tempor.* confer Nicephor. Gregor. *lib. 8. histor. Rom. c. de Pascha correctione.*

XL III.

*Explicatio
l. 3. Cod. de
Episc. Au-
dient.*

Interim Juris nostri legentes vestigia, elegantem textum omit-
tere non possumus, qui præ cæteris festis magnum huic Paschatis
festo privilegium attribuit, quod omnium criminum haut maio-
rum reis, quales exprimuntur *in l. 3. C. de Episc. Audient.* maximum
est favorabile, ut nempe, simulac primus dies Paschatis illuxerit,
nullum teneat carcer inclusum, sed omnium vincula dissolvantur.
l. 3. Cod. d. tit. quæ olim consuetudo Judæorum fuit in memoriam
liberati ex Ægypto populi, id quod nos edocet Passionis historia
Matth. 27. vers. 15. Ioh. 18. vers. 39. Marci 15. v. 6. Luc. 23. v. 17. Quam
consuetudinem, utcunque Hugo Grotius pro usurpatione habeat,
simul tamen cum *ἀπονομιὰ* à Romanis in Provinciam redacti reti-
nuerunt provinciarum Præsides, Wesenb. *Parat. C. de Judæis. num. 2.*
ut eâ ratione clementiam ac misericordiam populo commenda-
rent, eoque apud ipsum essent gratiores, *fac. l. 2. 4. 11. & 13. Cod. de
Judæis.* ubi Judæis varia indulgentur. Postea ne Ethnicis minus
clementes essent Christiani Imperatores, nec non in memoriam
Salvatoris nostri J E S U C H R I S T I, & ad testandam communem
lætitiâ, quam ex ea percipimus, quâ à peccatorum servitute libe-
rati sumus, statuerunt, ut ubi primus illuxerit Paschatis dies,
nullum teneat carcer inclusum, sed omnium vincula dissolvantur.
Jung. Grot. de l. P. & B. lib. 1. c. 2. §. 9. p. 44. & in Flor. spars. p. 278.
quibus in locis huius innuit rationem.

XL IV.

Q. Elegans hîc apud Dd. ventilatur controversia; An hæc libera-
tio omnimodam pœnæ remissionem & totalem abolitionem, an
verò relaxationem saltem à vinculis temporalem contineat? Pro
hac

1750
hac sententia stant Baldus, Cyn. Glos. Salicet. Castrenf. Menochius
*de arbitr. iudic. qu. casu 303. num. 38. Cuiac. Parat. & recitat. ad tit.
de abolit. general. Wesenb. ad SC. Turpill. num. 10. vers. primò publica.
Perez. prælect. C. de abol. gen. num. 1. Petr. Theodor. disp. crim. X. th. 7.
lit. C. Gothofr. h. l. 3. lit. O. & ad l. i. C. de abol. gen. rationem verò po-
nunt in illo verbo Indulgeat: nec non in illis: accipiat vinculorum
requiem, jung. l. 12. 15. §. fin. l. 10. §. 2. ff. ad SC. Turpill. itemque quod
à nomina Divinæ justitiæ planè abhorreat, improbum absolvere, ac
condemnare justum, utrumque enim est abominabile JEHOVÆ.
Proverb. 17. vers. 15. Num. 35. v. 33. Deut. 13. v. 7. Pro contraria verò
sententia & omnimoda dimissione atque liberatione reorum ob
delicta leviora incarceratorum pugnant Bart. ad h. l. 3. C. de Episcop.
Audient. Meierus in Colleg. Argent. de feriis. thes. 15. 1. per verba Le-
gis. ibi: Remissio veniæ, & ibi: Impunitatem admisi, faciunt repetitæ
jussiones: Dissolvantur, Dimittantur, & quod lex nullibi fidejussio-
nis faciat mentionem, ut idèò concludi aliter vix possit, quàm Im-
peratores leviorū criminum reos, si semel tantum peccaverint, libe-
rari voluisse. Quam interpretationem confirmant paratitla Græco-
rum à Leunclavio versa lib. 1. t. 2. p. 24. & t. 4. p. 53. (Notandum hîc,
cum XV. Paschales dies l. 2. & 7. C. de feriis constituentur, quod &
Græcorum paratitla l. 1. t. 1. p. 14. agnoscant, primam hanc diem
Paschalem in Dominicam Palmarū incidere, C. J. A. d. l.) Quæ sen-
tentia haut absurda videtur: Licet enim in gravioribus delictis rei
non facilè sint sine debita animadversione dimittendi, per dicta Scri-
pturæ modò indicata, vid. Dan. Otton. de iur. publ. cap. 10. sub tit.
juramenti depositio. p. 201. edit. vet. Licet etiam generales abolitiones
aliàs non semper plenum habuerint effectum: peculiaris tamen gra-
tia huic festivitati fuit indulta ab Imperatore pientissimo religio-
sissimoque in memoriam Dominicæ liberationis, qua ruptis inferni
vinculis in libertatem filiorum Dei restituti sumus, vid. Ampliss.
Dn. D. Tabor prælect. C. ad l. 3. C. de Episc. Audient. & hoc hodieque
Mediolani servari Menochius post Clar. ibid. testatur num. 38. licet
alibi, fortè ob delictorum frequentiam & seculi malignitatem, nil
tale hodiè admittatur, ita ut Bartolus jam suo tempore scripserit,
hanc l. 3. dispositionem & indulgentiam in desuetudinem abiisse, conf.
Gilh. in arb. crim. c. 2. t. 12. n. 2. & in Hollandia vicinisq; regionib. reo-
rū nec dimissione nec relaxatione festos dies celebrandos, sed potius*

administratione justitiæ & reorum sacrificio ornandos & cohonestandos censent Calvinus in *Matth.* 27. v. 15. & *Iob.* 18. v. 39. & ibi quoque Rollac. num. 35. 33. Galli nihil de his admisisse videri volunt, nisi causâ cognitâ: itaque ad Paschatos dies captivos vel laxant ad paucos dies, vel omninò liberant. Emittere enim iudicum consensus, qui patronis hinc illinc in interiori carceris porticu auditis, vel ad liberationem, vel ad eam ipsam, quæ prius fuit, coercitionem pronunciat, Mornac. ad l. 3. C. de Episc. Aud. Confer & de Gallorum moribus Autumnum in collat. Iuris Romani & Gallici hic. & ad l. 8. abolitio. ff. ad SC. Turpill.

XLV.

Prædicatum Legis.

*Aequivo-
catio Vocis
Inhibere.*

Exposito Legis huius subjecti materiali, nec non formali ordo naturæ nos ad expositionem prædicati ducit, quod vertitur in INHIBITIONE COGNITIONIS CRIMINALIUM QUESTIONUM, idemque simul objectum huius Legis includit. Præmittendum autem, vocem INHIBERE, Latinis idem denotare quod impedire, vetare, prohibere. Ovid. ad *Liviam*.

Sustentabat aquas, cursusque inhibebat equorum.

Sumitur & pro Interdicere: Inhibere enim Imperium, est alicui, qui in Magistratu est, interdicare, ne utatur potestate, quod Barbari dicunt, Suspendere ab officio; ita apud Livium lib. 1. *Belli Maced.* sumitur: Et ad populum, ait, & in Senatu magnis contentionibus certatum est, & imperia inhibita, ultro citroque pignora, capta, & multæ auctæ, & per has inhibitiones iudicis, ad instar Edictorum Prætoris, ut plurima decernuntur in curiis provincialibus, nec aliud sunt ac interdicta seu præcepta pœnalia; ita enim ab Eminentissimo Dn. B. Carpovio, *Fautore ac Præceptore meo, nunquam sine reverentia nominando, in disput. de Inhibitionibus, thes. 11.* definiuntur: Duobus namque de Possessione contendentibus, curia super inhibitione implorata, informationes summarias impertire solet, uter eorum melius possideat, ut de possessione probet, vel saltem fidem faciat, illumque ordinat fungi vice possessoris alteri inhibendo, ne ad possessionem accedat, cum clausula tamen justificatoriâ, data ei potestate in futuro iudicii termino causas suas ac possessionis jus, ulterius docendi, si parere nolit, quò facto, inhibitio decreta vel confirmatur vel rursus cassatur, neutro tamen casu præjudicatur juri partium tam ratione petitorii, quàm ordinarii possessio-

possessorii, quod jus ubique salvum reservatur litigatoribus, secundum tradita Natta *consil.* 121. n. 2. Caroli Ruin. l. 4. *consil.* 28. Borgn. Cavalcan. *part.* 2. *decis.* 23. num. 109. Arisim. Tapat. *in compend. decis.* t. 187. cap. 8. Horumque inhibitionum finis nullus est alius, ait Gail. 1. *observ.* 6. num. 6. quam quod in sententia inhibitiō facta, vel tollatur, scil. respectu victoris, vel confirmetur respectu victi. confer *text. in c. cum teneamur. x. de appell.* & alios citatos apud Gail. d. l. Eadem significatio est in hac lege vocis inhibitionis, quando interdicitur Provinciarum Præsidibus, ut omnem cognitionem criminalium quæstionum Quadragesimæ tempore obvenientium cessare faciant seu suspendant. Plura de hac materia consule tract. Joseph. de Sese *de inhibitionib. execut. privileg.*

XLVI.

Nostrium nunc erit, rationem ac causam hujus prohibitionis investigare, quæ non obscure ex fine institutionis eruitur. Nimirum præter causas *supra thes.* 40. relatas, Pontificii scriptores etiam sequentes recensent. I. Quo totius anni culpas ac negligentias hoc tempore piis operibus expiant & castis jejuniis veluti decoquerent. S. Leo P. P. 1. *sermon.* 4. *de Quadrages.* Numerus enim quadragenarius poenitentiae est, ut explicant D. Hieron. *cap.* 3. *Iona.* & Gregor. *Homil.* 16. *in Evangel.* & Autor *divin. offic.* l. 6. *cap.* 28. II. Quo omnes fideles ad sacram communionem in Paschate celebrandam hoc solenni jejunio se præpararent. D. Chrysostom. *homil.* 1. *in Genes.* & D. Hieron. *cap.* 3. *Iona.* III. Quo omnes fideles per jejunii afflictionem non nihil comparentur Christo, & purgarentur ad digniorem & hilariorem sacri Paschatis sanctificationem Leo P. P. *serm.* 9. 10. 11. *de Quadragesima.* IV. Ut omnes fideles non pro se solum, sed & pro catechumenis in Paschate baptizandis jejunarent & orarent. D. Ambros. *serm.* 27. V. Ut quasi decimas vitae nostræ per abstinentiam Quadragesimalem Domino Deo nostro consecraremus. Etenim decima pars anni sunt dies XXXVI. quot numerantur ordinarii dies jejunii Quadragesimalis, *cap. Quadragesima. distinct.* 5. *de consecrat.* Quatuor enim reliqui additi sunt ex causa paulò antè dicta Gregor. *homil.* 16. *in Evangel.* Iohan. Caspianus *collat.* 21. *cap.* 27. Isidor. l. 1. *divin. offic.* *cap.* 36. Erat enim veteri Lege præceptum decimas DEO & primitias de omnibus bonis reddi, unde & nos id ipsum facere debemus, etiam de nobismet
ipsis,

Finis Quadragesimarum & Impulsiva huius constitutionis.

ipsis, scil. de corpore, de mente, de tempore: bona autem operando DEO nos decimas offerimus. Durand. l. 6. cap. 28. num. 3. Joh. de Beleth. cap. 10. VI. Ut impleatur verbum Christi Domini nostri, quod dixit: Cum auferetur ab iis sponsus, tunc jejunabunt in illis diebus, Tertull. libro de jejunio. Hieron. in cap. 9. Matth. VII. Ut Christiani etiam quadantenus imitentur exemplum Christi, qui pro illis totos XL. dies & noctes arctissime jejunavit, nil edens nec bibens, Matth. 4. Ignat. Epist. ad Philip. Basil. orat. 1. de jejunio. Gregor. Nazianz. orat. in Sanct. Lavacr. D. Hieron. in c. 58. Esaia. Chrysostom. homil. 1. in Genes. D. Augustin. Epist. 119. c. 15. D. Ambros. serm. 26. & 37. Bellarm. tom. 3. disput. controvers. general. ult. libr. 2. cap. 15. Conf. Thesaurum Jodoc. Lorichi. in voce Quadragesimal. jejunii. circa quas causas ea cavenda, quæ in thes. 41. ad finem annotata sunt.

XLVII.

Alii tamen generalius finem Quadragesimalium dierum eundem esse prædicant, qui sit festorum solemnium in honorem DEI institutorum; ut nempe sit requies corporalis, & cessatio à curis prophanis seu mundanis operibus ad serviendum DEO nostro, & audiendum verbum eius. Carpzov. iurisprud. Consist. l. 2. t. 8. definit. 151. Unde fides in Christum, per quam salvi sumus, vitamque consequimur æternam, text. 3. præcept. & c. 25. Levit. Paul. Rom. 4. 5. 6. Covarr. l. 4. t. 2. cap. 19. num. 1. in fin. cum seq. & num. 11. princ. ex Sylvestro, Cajetano, & aliis, ubi id latius ex D. Thoma 2. 2. quest. 122. artic. 4. deducitur: cuius sensum diligenter scrutatur, & probat Domin. Soto l. 2. de iustit. & iure. quest. 4. artic. 4. Welsenb. ff. de feriis. num. 7. princ. per l. 7. & fin. C. de fer.

XLVIII.

*Materia
objectiva
Legis.*

*Aequivo-
catio co-
gnitionis.*

Hinc speciali constitutione Legis 6. C. de feriis. inhibetur cognitio criminalium quæstionum: unde notandum, vocem *cognitionis* in jure nostro accipi multifariam; cum enim cognitionis nomen generale sit, ad judicia civilia, tam petitoria, quam possessoria, & ad criminalia, l. 6. C. de feriis. ad ordinaria, plerumque tamen ad ea quæ extraordinem habentur, refertur, Connan. l. 1. cap. 6. n. 4. Ubi Prætor ipse extra ordinem, religione sua cognoscit, & ea illius extraordinariæ cognitioni reservat. l. 1. §. 2. ff. de R. V. l. 2. ff. si usus fruct. per. Oldend. Alciat. *magis*. Spiegel. vide latè Bræcheum in l. *notio-*

notionem. 99. de V. S. in Principum rescriptis strictè ponitur, ut excludat sententiam, secus in lege, Jason. in l. cum perlati. 32. ff. de re jud. Adnotavit & Albericus, Judicem exequendo cognoscere, Spiegel. Interdum pro ejus exercitatione ponitur. Item pro negotii examine, & decisione & quæstione l. 1. ff. de offic. Assessor. l. cognitio. 4. princ. ff. de offic. eius cui mand. & alibi sæpè. Præterea sumitur & pro instantia (ut nunc vocant) apud Papinian. in l. penult. ff. de susp. tutor. ut Bart. docet & Oldendorp. Sæpius & poni putat pro accusatione Alber. ut in l. si ea quæ 7. C. qui accus. non possunt. Item cognoscere instrumenta, i. e. ea relegere, l. 56. de V. S. sed in l. nemo. C. Th. de cognit. & procurat. pro susceptione causæ alienæ & defensione sumitur, hinc Festus lib. 3. cognitorem dicit qui litem alterius suscipit, coram ab eo, cui datus est, quod probat Anianus, Cod. Theod. interpres d. l. de cognit. & procurat. Hoc loco verò vocem cognitionis accipio cum Placent. in summa ad h. l. Dn. Hahn ad Wesenbec. de Feriis. num. 5. C. J. A. eod. pro discussione seu examine, tortura sententia nec non & executione criminis, & omni causâ criminali, quoquo modo ea ventiletur, id quod ob cæremoniarum auspicia majora, quibus per hoc tempus sanctum omnis homo, ut debet, invigilat, prohibetur, Dn. Carpz. Jurispr. Consist. l. 2. t. 8. defn. 151. Nec enim & criminum reis denegari fas est, quo minus & DEO suas offerant temporis primitias: quare & particulam universalem Imp. ponit. Omnis, enim ait, cognitio; Id, quod & ratio inhibitionis huius temporis, in thes. 46. & 47. allata, arguit.

XLIX.

Ideò regulariter per l. 6. C. h. t. & arg. l. 6. & seq. ff. eod. in criminalibus omninò non est procedendum in Quadragesima. Rodolf. tract. de mod. viv. in dieb. quadrages. num. 70. Scaccia de iudic. l. 2. c. 6. n. 5. C. J. A. de feriis th. 16. Placent. in summ. C. d. t. Ampliè. Dn. D. Hahn. not. Wesenb. n. 5. d. t. Clarus recept. sentent. §. fin. q. 50. post alios. quod illud tempus apud primos ac pientissimos illos Imp. Christianos non modò religiosè observatum, sed criminalium causarum omnis cognitio inhibita, per id tempus, quod quasi pœnitentiæ, non etiam supplicii reorum dicatum & correctio- ni non coërcitioni reorum destinatum. Nicol. à Salis in siciliment. ad l. 6. C. de feriis. Hodie tamen consuetudine videmus obtinere, quod in criminibus gravioribus & Dominicis diebus, & omnibus

E festis,

festis, ac sancto Paschatis die; magis ideò in Quadragesima, quæ tra-
ctum temporis longiorem habent ac cæteræ feriæ, sæpè captivi du-
cantur: Imò & intra Quadragesimam torqueantur, ac puniantur
scelerati. gl. ad d.l. Bart. Angl. Bald. Salicet. Paul. de Castro n.1. Brun.
de iudiciis & tortura. fol. 121. n. 52. Fr. Marcus decis. Delph. 409. num. 1.
Clar. in §. fin. q. 50. n. 3. Amplif. Dn. D. Hahn d.l. Peretz ad r. C. de fe-
riis. n. 8. Addit Mornac. ad h. l. 6. hujus sacræ constitutionis usum
tantum superesse in S. Pascha & XV. diebus Paschatis, i. e. septima-
na, quæ antecedit & Pascha sequitur per l. omnes dies. C. de feriis. qua-
re de caussarum criminalium executione in hoc tempore omninò
quædam est dubitatio, licet id moderna praxis alicubi ignoret, ut
habet consilium Amplif. Viri, Dn. Obrecht in Racemat. defin. cri-
min. Amplif. Dn. D. Taboris ad art. Carolina. const. 165. p. 564. quod
consilium licet de Executione, lex vero 6. de cognitione loquatur,
omnibus tamen omninò notum est, nullam sine prævia cognitione
fieri debere executionem. Quare illâ prohibiã, hæc nunquam
procedet; Fieri namq; debet in liquidis executio, Gail. 1. obs. 68. n. 6.
item 1. obs. 44. n. 6. Mynf. 2. obs. 6. nec super rebus dubiis suscipi, ut
notat Bart. in l. 4. §. si ex conventionem. n. 1. ff. de re iud. Capic. decis. 17. per
tot. incip. in caussa. post gl. in c. conquerente de offic. iud. ord. Petr. Jacob,
in sua pract. sub tit. de pet. hered. n. 6. nec contra non condemnatum,
l. rei iudicata. l. cum queritur. cum l. seqq. ff. de except. rei iud. Balc.
consil. 149. part. 3. per totum. incip. proponitur. Castrenf. consil. 87. n. 3.
part. 1. incip. in caussa qua vertitur. Gail. 1. obs. 118. n. 1. & obs. 49. n. 5.
Quod si dubites, Annon saltem illa executio fieri possit, cuius cogni-
tio facta, antequam sacrum hoc tempus affulisset? Resp. Nicol. de
Salis in siciliment. ad h. l. 6. tempus esse non coërcitionis, sed corre-
ctionis; adèoq; cognitione factâ, pœnam maturandam esse, ut pro-
cedatur antequam salutare tempus hoc pœnitentiæ illucescat.

De Execu-
tione san-
guinaria.

L.

Dicemus ergo cum communi D d. schola, sensum legis esse, in
hoc tempore Quadragesimali nullam omninò fieri debere executio-
nem criminalem, aut corporis afflictivam. Aug. Barb. ad h. l. 6. Scaccia
l. 2. c. 6. n. 4. de iudiciis. & ex dicta ratione Nic. à Salis ad h. l. 6. quum
sanguinariæ sententiæ executio horrendum sit ac miserabile spe-
ctaculum, à quo pius animus. hoc præsertim tempore sancto, pœni-
tentiæ & luctus, quod sacris Domini nostri concionibus pœniten-
tiona-

tionalibus ac passionibus destinatum ab Ecclesia fuit, abhorret.
Sigm. Scaccia de iudic. l. 2. c. 6. num. 17. 18. Carpzov. Ipr. consist. l. 2. t. 8.
defin. 151. Mil. repert. in verb. feriatis diebus etiam Paschalibus.

L I.

Quum autem absque prævia sententiæ conceptione fieri non
possit criminalium executio, dubitet quis, An sententiæ crimina-
lis conceptio? An examen seu inquisitio? An tortura etiã hoc tem-
pore sit licita vel prohibita? Tametsi autem hæc in secreto fiant nec
horrendum ideò populo spectaculum præbeant, nec usq; metuen-
dum, ut à sacris meditationibus populus avertatur, ac scandalum
concipiat, ut metuit Sig. Scacc. de iud. l. 2. c. 6. n. 15. Rectius tamen &
hæc isto tempore intermittentur, cum l. 6. de omni causarum, cri-
minalium cognitione loquatur, à quò generali & latissima verbo-
rum conceptione, nec torturam, nec sententiam, nec criminalem
processum tutò possis excludere: Aliam præterea rationem collige-
re possumus ex d. l. Scaccia. n. 1. quod in criminalibus maior & accu-
rator desideretur causæ cognitio ac in civilibus; ideoq; cautius tra-
ctanda & penitius in ea inquirendum esse, ut ideo personæ iudiciis
constituendis & peragendis constitutæ, animo non satis tranquil-
lo & præparato divinis vacare valeant meditationibus. Scaccia l. 1.
c. 6. n. 1. de iudiciis.

De sententiæ
criminalis conce-
ptione, de
inquisitio-
ne ac tor-
tura.

L II.

Restat ut de captura reorum criminis (an ea permissa sit, nec ne) De Captu-
paucis loquamur: Extra controversiam autem ponimus, maiorum
criminum reos, uti latronum Isaurorum (qui tum temporis fuerunt
famofissimi, l. 10. C. de fer. gl. ib. & Dd. Isauris enim prædas fuisse Pam-
phylia & Lyciam, testantur Zosim. l. 4. Sozom. l. 6. c. 36. Socrat. l. 4.
c. 33. & 37.) Adulterorum, Violatorum monetae, Parricidarum, Ma-
jestatis reorum, l. 3. §. 1. C. de Ep. Audient. & arg. l. 11. C. de fer. capi posse,
ut infra suo ordine dicemus, sed nec minorum delictorum reos in
flagranti crimine deprehensos, vid. l. defensores 7. C. de defensoribus
civit. à captura per omne tempus immunes affirmaverim, propter d.
l. 6. C. de feriis. quandoquidem causarum cognitio, longè distat à ca-
ptura reorū, præsertim ἐν ἀποπέσει, ut dixi vel in flagranti crimine de-
prehensorum, idq; argumento eorum quæ habet Ampl. Dn. D. Hahn
ad Wesenb. neq; simplex captura iudicē, aut populum à sacris avocet
meditationibus, minusq; horrendum populo præbet spectaculum.

De Captu-
ra.

De maxi-
mis facino-
ribus pa-
cem q̄tur-
bantibus
publicam.

Quæ tamen superius de cognitione & executione per tem-
pus quadragesimale suspendenda dicta, aliquando ex causa mode-
ramen suscipiunt, in maximis, atrocissimis, iteratisque facinoribus,
pacem publicam perturbantibus, (ut supra quoq; paucis attigimus)
qualia enarrantur in l. 10. Cod. de feriis. l. 3. Cod. de Episcop. Audient.
in quibus per dies quadragesimæ saltem cognitionem institui, pu-
blicæ saluti interfit, vid. Dd. ad d. l. 10. in primis Bartolus, Baldus,
Salicet. Paul. & Abbas in cap. 1. num. 6. in fin. eod. Angl. tr. de malefic.
in verb. inchoata. num. 12. Marc. decis. 409. num. 2. Marant. Specul.
part. 6. actu 10. num. 38. limit. 2. Clarus §. recept. sentent. quest. 97.
verb. quero etiam. num. 8. Quandoquidem de plurimorum homi-
num salute istis in delictis agitur, quæ magis scandalum præbent
ac malum, si eorum differatur executio, quàm si permittitur; nec
enim ullum maius & acceptius offerri potest DEO sacrificium,
quàm eos, qui in suam aliorumque divagantur perniciem, com-
petenti rigore compescere; unde & Seneca in Tragediis ait: Nullum
pinguiorem victimam DEO mactari posse, quàm reum iniquum.
Quæ verba Senecæ notavit ad d. l. 10. C. de feriis. & ad l. 3. C. de Episcop.
Audient. Paulus Castrensis. Quorsum & Psalmistæ verba rectius
traxeris, cum ait: Beati sunt, qui faciunt omni tempore iustitiam,
Quæ verba in dict. decis. 409. num. 2. refert Marcus, atque Antonius
Peretz. in prælect. Codic. de feriis. Taceo quod & utilitas publica
maximè exigat, ne tam grandibus delictis diu indulgeamus, liqui-
dem hac ratione alii complices ac delinquentes, viso, auditoque
celeri examine, magis deterrentur & exanimantur, faciliorque
subinde eorum profligatio redditur ac persecutio, viæ purgantur,
ac salus publica in tuto collocatur. Sigismundus Scaccia l. 2. cap. 6.
num. 11. de iudiciis. Si itaque illis diebus executio sanguinaria in
tam enormibus delictis permessa, quid vetat, ad torturam quo-
minus Iudex procedat, maximè cum feriæ quadragesimales per
aliquot septimanas durent. Quod si maximè juxta testimonium
Clari in §. fin. libr. 5. quest. 64. num. 34. executio supplicii his die-
bus non temerè adhibetur, prout ille scribit: se nunquam vidisse
sententiam criminalem, in qua sanguinis imponatur pœna, in die
festo in honorem DEI executioni mandari: adde Dd. in cap. 1. de
feriis. Angl. de Malefic. in verb. inchoata facta. num. 12. Non tamen
ided

ideò cognitio quæque excludenda venit, maximè in criminibus istis gravioribus, per d. l. 10. Cod. de feriis. quare Clarus §. fin. libr. 5. quest. 64. num. 34. Ego à Judicibus DEUM timentibus, inquit, vidi observari, ut nisi in delictis capitalibus, Rei in diebus in honorem DEI feriatis, non torqueantur; & laudo, quod ita observetur, jungatur dictus Clarus quest. 97. num. 6.

LIV.

At castigationem levem quandoque feriatis in diebus permissam esse refert Pract. Milei fol. 34. num. 30. Addens ita & Tolosæ practicum fuisse (sic ille loquitur) per quendam Regis locum tenentem, qui in die Paschatis crumenisecam virgis cæsum in exilium miserit. Quod omninò d. l. 3. C. de Episcop. Audient. dispositioni repugnat. Aliis tamen locis in Hispaniis, ubi Clarus vixit, usu non esse receptum, docet, semperque dilatam fuisse executionem in alium non feriatum diem, quod & in toto Romano Imperio observari videmus, idque Judices religiosissimi DEUM timentes, seu ut ait Scaccia, qui timoratae sunt conscientiae, faciunt, ex Claro l. 5. recept. sentent. quest. 97. verb. Quæro etiam. testatur Scaccia de iudic. l. 2. cap. 6. num. 7. Quod & laudabile, licet regulariter aliis temporibus executio sententiæ capitalis à Judicibus non sit differenda, Angl. in l. cum rei. in fin. Cod. de pœnis. quia vidit quosdam Assessores gratificantes in differendo executionem pœnæ, ut criminosi gratiam habere possint. Sed id malefactum, quia amicus DEI, qui interficit inimicos eius.

LV.

Quærun't etiam de sententia & executione pœnæ in caussa hæreseos, An scilicet sententia in caussa hæreseos ferri & executioni per Judicem secularem diebus Festis committi possit? Qua de re licet sileant l. pen. C. de feriis. l. 3. Cod. de Episcop. Audient. Dd. tamen complurculi, eam attingunt, ac diversimodè determinant. Nam Eym'er. in direct. inquisit. part. 3. rubr. de novo modo determinandi processum fidei, sub num. 197. & Rubric. Forma ferendi sentent. contr. eum, qui in hæresin est relapsus & c. num. 200. in fin. fol. 550. putat, eiusmodi sententiam & assignationem faciendam esse die juridico, in aliqua platea seu publico extra Ecclesiam loco. Quam Eym'eric'i sententiam confirmat Scaccia d. l. & cap. 5. num. 1. 3. 4. & 17. vers. declar. At

De sententia Executione in caussa hæreseos.

E 3

contra-

contrariam fovet opinionem Pegn. ad Eym. *diff. part. 3. com. 45. §. verum tamen. & seq. fol. 551.* quod scilicet sententia & relaxatio prædicta proferenda sint die festivo, ut fidei negotium magis expediens. Quam opinionem, ut idem Pegn. refert, approbavit Instructio Madruliana de anno 1561. cap. 77. cuius instructionis verba idem recenset. Et advertite, quod cum eodem die proferatur sententia unà cum relaxatione, etiam facienda sit executio dictæ sententiæ, juxta ea, quæ scribunt Simanc. *de Cathol. Inst. t. 60. de sentent. n. 11.* & post eum Pegn. *d. part. 3. com. 42. §. Sin autem impœnitens,* dum aiunt: Quod si hæretici persistunt in pertinacia & impœnitentia, legenda est sententia, & confestim à Judice seculari capiendi sunt, & damnandi.

L V I.

Idque justissimum putant (ita Doctores nostri loquuntur) quia huius hæreseos criminis maior longè sit ratio, & diversa atque in omnibus criminibus: ideoque cum delictum hoc latius quàm omnia alia se diffundat; ac difficilius curetur, sitque velut scintillula, ad comburendam urbem universam apta, (unde & in eo periculum dicitur versari totius Reipublicæ Christianæ, ut latè tradit Scaccia *de Iudic. l. 1. cap. 59. num. 1. & 19.*) punitio quoque eiusdem magnâ sollicitudine suscipi debeat. Aiunt, Hæresis causam esse magnam ac omnium maximam gravissimumque delictum, *cap. 1. 22. quest. 2. cap. Quid in omnibus 33. quest. 7. Auth. Gazaros. C. de Heret. & simul adde Eym. in Direct. inquisit. part. 3. num. 134. in formis inquirendi & c. Paulus Chirf. tract. de Heretic. & Ludovicus Carrer. eod. princ. Simanc. de Catholic. institut. tit. 30. num. 7. Gail. de pac. publ. l. 1. c. 19. n. 17. Menochius de arb. iudic. l. 2. cap. 4. cas. 372. in pr. & nemine discrepante communiter omnes, ut tradit Nicol. Johan. Arel. *tr. de heret. not. 28.* Esse enim læsæ maiestatis crimen, in læsionem Divini numinis directò tendens: Unde non esset incongruum asserere & hoc, hæresin esse, si quis diceret, hæreseos crimen non esse præ cæteris gravissimum, quia videretur constituere, maiorem personam quàm DEUM: Imò Baldus dicebat *in l. 1. num. 45. C. qui accusar. non poss.* Etiam eam hæresin, in quam quis incidit lubrico ignorantia, esse gravius delictum, quàm homicidium dolosum, quod hæreticus ponat os in cælum, & DEUM blasphemet, & sic, inquit*

inquit, propter nobilitatem Rei, quem offendit, gravius delinquit. Dicitur enim hæresis fornicatio, & adulterium animæ, ut ex pluribus sacræ Scripturæ locis latius Simanca *de Cathol. inst. l. i. n. 21* ostendit. Unde cum sit atrocissimum delictum, quod serpit ut coluber, rodit ut cancer, demolitur ut tinea, inficit ut venenum, latius quàm alia delicta se diffundit, acutiùs penetrat, tenaciùs adhæret ac difficiliùs curatur, ut docet *d. l. Simanca*. Idèd habenæ inquisitoribus huius laxiores quàm aliis iudicibus, dari debent ad eam rescandam, & quamprimum à principio, ne paulatim intima cordis ac totum corpus corrodat: Siquidem morbida facta pecus, totum corrumpit ovile; modicum fermentum, totam corrumpit massam, *i. Corinth. 5*. Ita Arius in Alexandria una scintillula fuit, sed quoniam non statim oppressa, totum orbem eius flamma populata est. *capit. rescanda 24. quest. 3*. quod de multis aliis hæresiarchis & affirmare licebit. Est enim hæreticus animal pestilentissimum, quod puniri debet, priusquam impietatis virus evomat; est bellua, quæ, ut de Aristogitone ait Demosthenes ad Athenienses, debet exterminari, ejici è civitate, & è medio tolli, nec eousque expectari, dum accipiatur malum, quod absit, ut sit Reipublicæ perniciosum: sed maturè præcavendum est, ut inquit Philo *lib. de specialib. Legib.* sicut vipras, scorpios, aliasque venenatas bestiolas, priusquam mordeant, aut sauciant, aut omninò se commoveant, sine mora ad primum adspectum occidimus, præcavendo eorum genuinam malitiam, priusquam noceant: Eodem modò etiam homines plectendi sunt, qui cum sint animalia rationalia, nihilo secius à nativa mansuetudine suâ, in ferinos degenerant mores, iisque peiores sunt, ut id latè ostendit Lactantius *divin. Instit. & pro delectamento habent lædendi quotquot possunt licentiam. confer, quæ tradit in hanc sententiam eleganter Gundis. rr. de hæret. quest. 6*. Quare & iis in *l. i. subiecta Auth. item privilegium. c. de hæret. adempta omnia circa dotis prærogativam privilegia, sed & odio sunt persequenda, ut habet Novell. 54. & Gothofred. ad d. l. quod hæresis læsæ Maiestatis sit crimen. in cuius persecutione totius versatur Reipublicæ salus & emolumentum, ut idèd ordinaria jura & in eo crimine persequendo transgredi sit permissum, ut refert Rol. à Vall. *cons. 7. n. 44. & ex eo Scacc. de iud. l. i. c. 59. n. 19.**

L VII. Quæ

Quæ tamen omnia cum mica salis accipienda esse putamus, certè nostra absolutè non facimus, rectius hac de re & quidem in hunc modum edocti ab Eminentis scientiæ Viro Consultissimo, Dn. D. Tabore, communi nostro Doctore, in *prælect. C. ad l. 2. §. 1. C. de heret. & in tract. de Metatis & Epidemet. p. 190.* ubi docet, Legem hanc vulgò malè exponi à Theologis ac Jctis, nec non à Pontificiis Dd. eam ita generaliter exaudientibus, ut huius vigore opprimantur etiam innocentes, & affligantur omnes qui vel levi argumento à iudicio Christianæ religionis ac veri tramite deflexi, Barbof. cum allegatis *ad h. l. P. Vindec. l. 11. Theol. Ictorum. loc. XI. p. 31. Decian. l. 5. tract. crim. 8. & cap. 42. num. 3. Autor Autonomiæ l. 2. cap. 31. Arelet. de heretic. notab. 2. Gundiff. eod. tract. quest. 13. num. 19.* quorum argumento & Lutheranos Hæreticorum nomine venire, docet Dn. Carpzov. *ad leg. Reg. Germ. cap. 3. sect. 10. num. 10.* Supra citatos sequitur Gothofred. *in not. ad verba qui vel levi.* seductus fortè per textum *l. 12. C. dict. tit.* cum tamen *hac l. 2. §. 1.* non agatur de generali vocis significatu, ut *in l. 12. & 18. C. de heret.* ubi dicitur: quicumque non fuerint orthodoxi; quibus textibus maximè abutitur Anton. Faber *in suo Cod. t. de Sancta Trinitat.* (egregiè exceptus à Jacobo Lectio *in præscription. libris.*) Thuscus *lit. H. conclus. 93. n. 20.* sed de speciali atrociorum hæreticorum, qui capitali supplicio ex sanctionibus Imp. succumbere debent. Quod cum complures Theologorum ac Jurisconsultorum non adverterint, hanc definitionem ex *l. 2. C. d. t.* passim reiiciunt, nimisq; latam inter cætera arguunt Autor Bruti fulminis *fol. 131. Dauth. de testam. p. 300. Pl. Reverend. Dn. D. Gerhardus loco de Ministerio Ecclesiast. cap. 8. num. 370.* & intolerabilem pronunciant, nisi jungatur cum *l. 4. C. de S. Tr. ac l. 4. §. 6. ib. pœnitentibus. C. de heretic. & ita de impœnitentibus exaudiatur, nec non àutox&lan&it&ois. Wesenb. π. C. de heret. num. 1.* confer Forner. *rer. quotid.* Ita illi hanc limitant definitionem: Aliam verò planè substituunt Cothman. *ad d. t. C. n. 2. & seqq. Hugo Grot. de l. P. & B. l. 2. cap. 20. §. 50.* ubi *in not. pag. 364.* hæresin ex *l. 2. princ. de S. Trinit.* potius definiendam censet: Obstinatoris animi dementiam. Alii tamen aliter definiunt. Videre possumus varias in jure Cæsareo hæreticorum, hæresiumque definitiones

tiones apud Dn. Justum Meierum Antecessorem quondam Alma huius
 Academia Principem, nunquam non satis laudatum, in *Quaestionibus*
Iur. publ. contra class. Sciopii p. 9. Inter optimas autem & ea refer-
 tur, quam nobis subministrat Johannes Theologus, consentiente
 Viro plurimum Reverendo Dn. Doct. Danhavvero in *Αἰτιολογία sua*
sect. 1. art. 5. num. 40. asserens simul, tot esse hæreseon penè defini-
 tiones, quot sint in orbe hæreses, unde tot nati per omnem Ger-
 maniam strages, per Gallias, nec non universas Belgii provincias.
 Consule Aventinum *lib. 3.* Quas itaq; enarrare definitiones operæ
 pretium haud erit, idq; propositi præterea fines nimium excessurum
 quis non videt. Nos nostram *ex l. 2. §. 1. C. d. tit. de hæret.* Syntaxi
 ritè ordinatâ stare firmissimo talo affirmabimus, id quod prolixius
 ostendit in *d. tract.* Vir Consultissimus de Metatis *pag. 190. §. 5.* ubi
 videatur, collatis quæ tradidit Eminentissimus Dn. Carpzovius *1.*
quest. criminal. 44. num. 4. & seq. Polan. lib. 7. Theolog. Method. cap. 72.
 Nec & aliud Imperatores dicere voluerunt, quàm quod Imp. Justi-
 nianus in *Novell. 109. in princ. verb. Hæreticos,* asseruit *cum cap. Hære-*
sis & seq. 94. quest. 3. Hæreticum esse, qui non prædicet fidem Apo-
 stolicam, sed levi argumento & variâ opinione seductus longè di-
 versum tramitem à Catholica religione ambulare & sequi detega-
 tur. Atque à spiritu pertinaci & opinione singulari revera hæreti-
 cōs dici, scribit Tertullianus *de Præscript. advers. hæretic. cap. 7.* &
 Isidor. *lib. 8. origin. cap. 2.* Quare & horum nomine speciali schisma-
 ticos haut venire, meritò concludimus. Inter quos atque hæreti-
 cos quale constituatur discrimen, discimus *ex cap. Inter hæresin 24.*
quest. 3. Consule Phlacherum in *Postill. Evangelii XVII. post Trinit.*
 & pl. Reverend. Dn. Doct. Danhavverum in *Αἰτιολογία sua sect. 1.*
art. 5. §. 33. pag. 152. & seqq. Reinking. lib. 3. de Reg. secul. & Eccles. cl. 1.
c. 5. Carpzov. 2. l. pr. Consist. definit. 266.

L V I I I.

Præmissa ergò declaratione, ad quæstionem ipsam sic respon-
 demus: In crimine hæreseos simplicis nequaquam esse præfesti-
 nandum, sed ed cautius procedendum, quo vulnus conscientia
 gravius est. Quod si verò hæresis cum seditione conjuncta sit, &
 Reipublicæ aliquod ex eo periculum immineat; tum *Legis 10. C. de*

F

feriis

feriis dispositionem obtinere posse, quod notat Pagn. *ad direct.*
Eymer. part. comm. 45. §. verum tamen. & §. ingenuè fatebor. An au-
tem sententia contra hæreticos in Ecclesia: An extra eam ferenda
& publicanda sit, exponit cum aliis Scaccia *l. 2. de iudic. cap. 6. n. 27.*
Qui &, quo ordine ea sit ferenda *d. l. docuit, ut & in lib. 1. c. 98. sub*
n. 4. vers. si est sola. Et tantum de hoc juris articulo, quem latius
aliquantò discutere placuit.

LIX

Planè de captura eiusmodi graviorum maleficorum, facilius
consentimus Doctoribus, eam omni tempore permitti, ut idem
refert Baldus *tract. de carceribus cap. 1. vers. circa secundum. num. 9.*
ibi: in criminibus autem. fol. 201. & in l. fin. vers. Ego. num. 2. Cod. de
reis exhibend. quod iudex quolibet tempore possit dare licentiam
aliis, qui capiant malefactorem, ne obnoxius fugiat, Follerus *pract.*
criminal. in verb. novatos capiat de persona. num. 5. Farinacius *quest.*
criminal. lib. 1. quest. 27. num. 109. & 110. Confer exemplum de Petri
captura in diebus Azymorum *Aetor. 11. vers. 3.* quia capturam faci-
norosorum hominum sequitur purgatio provinciæ, ac plurimo-
rum salus & incolumitas firmissima, *l. provinciarum 10. C. de feriis.*
& ita ratio militat in facinorosis, quales sunt publici latrones, at-
que viarum grassatores, similesque. Altera & addi potest ratio,
quod reus delinquens semper sit de fuga suspectus, præsertim si
grave sit delictum, juxta ea, quæ tradit latissimè Scaccia *de iudic. lib. 1.*
cap. 42. num. 5. 8. 9. Imò & de fuga suspectum in causa civili. Exem-
pli gratia, si ære quis alieno gravatus, capi posse per omnes dies
& in honorem DEI feriatos, Scaccia tradit *in l. 2. de iudic. cap. 5.*
num. 28. vers. primus.

LX.

Adeoque in his terminis etiam indulgeri posset inquirendi
facultas, Proecessus, ac Torturæ submissio, quoniam iudex citò debet
examinare, inquirere & procedere etiam ad torturam contra
latrones & malefactores alios, publicorum delictorum reos, ad
effectum sciendi, & capiendi complices eorum & fautores, qui
publicis adhuc viis in multorum perniciem insidiantur, & ne in-
terim

terim dum iudex moraretur, festivis diebus reum non capiendū, is fugam arripiat, ut loquitur textus *in dict. l. provinciarum*, quem Doctores communiter intelligunt habere locum in punitione tantum latronum Isaurorum, quod eo tempore Isauris prædæ erant Pamphylia cum tota Lycia, ut tradit Ammian. Marcellin. l. 31. Zosim. l. 4. Sozomen. libr. 6. cap. 36. Socrat. libr. 4. cap. 33. & 37. Hanc autem inquisitionem optima ratione propterea quovis tempore, & in quadragesima, procedere puto, quod processus iste non sit horrendum spectaculum, & cum in secreto fiat, populus haut divertatur à divinis, nec ullum ex eo verum scandalum concipere valeat, quod & præterea contra famosos delinquentes, qui plurimorum exitio fuere, procedi possit in diebus Paschalibus & Quadragesimæ, refert & Nicol. de Mil. *in repert. verb. feriatis diebus etiam Paschalib.* & ex eo Scacc. *d. l. 2. c. 5. n. 28. & seqq.*

L X I.

Quæ omnia cum in diebus in honorem DEI festivis locum habeant, magis permissa erunt in feriis hominum bono dicatis, Abbas *capit. fin. sub num. 20. de judic. Clarus 5. sentent. quest. 97. verb. quero etiam.* Ubi testatur, quod de hoc nemo dubitet. Notetur &, quod hoc in Foro Capitolino procedat, non solum vigore consuetudinis latæ, sed vigore statutorum, *lib. 1. cap. 58. in fin.* & in Regno Neapolitano, ex quo ibi non servantur feriæ Cereales & Vindemiales. Et hæc de criminalibus judiciis, quatenus ea in Quadragesimis permissa sint, nec ne, dicta sufficiant.

L X II.

Veniamus itaque ad civilis vocationis actus, quatenus in Quadragesimis ii permissi vel inhibiti sint, quod licet expressa lege haut vetitum, habemus tamen eius dubitandi rationem haut parvam, cum idem hoc Quadragesimale tempus, ac omnia festa, Diesque Dominici, in Divinum honorem statutum sit: & si opera vocationis cessant in tempore gaudii & lætitiæ, prout in Diebus Dominicis gaudere debemus opera creationis, & præstita nobis à DEO quævis beneficia, in Festo Nativitatis Christi totius humani generis optimi consultoris, *Rom. II. vers. 34.* Nativitatem & Incarnationem: Eius verò gaudeamus Resurrectionem in Festo Paschatos, &

tos, & similia quævis festa, secum ferunt gaudia; quanto magis cessabunt in quadragesimali tempore, quod totum est luctus & pœnitentiæ, ut ex Guilhelm. Durando superius docuimus, quo totius anni Decimas reddere DEO debemus, per quod tempus an non rebus vacare mundanis meritò debeamus quis ambiget? cùm in eo nobis exhibeatur Christi passio meditanda, peccataque imprimis veniant lugenda, quid ni ergò eadem religione istas ut alias observemus ferias, in quibus ab omni opere actibusque vocationis abstinendum est, docentibus cum Sylvestro, Caietano, & aliis Covarruv. cap. 19. num. 11. & Dd. passim ex cap. licet. & cap. fin. de feriis. l. omnes dies & l. dies festos. C. eod. Confer rationes adductas à Beninc. tract. de pauper. & privileg. eius. quest. 4. num. 28. fol. 143. Et si per sanctiores anni dies, Dominos Camerales cessant in relationibus, sententiisque ferendis, tum supplicationibus, decernendisque processibus, ut videre est in Ord. Cameral. part. 2. tit. 33. & apud Denayl. in compet. iur. Cameral. tit. 140. num. 6. & alios. Cur non idem in Quadragesimalibus? Huc faciunt elegantiores Tibulli Poëtæ versiculi:

*Luce sacrâ requiescat humus, requiescat arator
Et grave, suspensò vomere, cesset opus.
Solvite vincla jugis, nunc ad præsepia debent
Plena coronato stare boves capite.
Omnia sunt temerata DEO, non audeat ulla
Lanificum pensis imposuisse manus.*

Nec minus festivè quidam interrogatus, Quidnam feriis agere liceret? Respondit: Quod noceret prætermissum, notante Petro Anchrano.

LXIII

Sed his non obstantibus, cum textibus, (maximè cap. licet. extr. de feriis.) tum rationibus fortioribus affirmamus, etiam opera vocationis per omne tempus cessare non debere, cum id nulla nec divina nec humana sanctio præcisè prohibeat, nec sine notabili totius Reipublicæ detrimento prohiberi possit; licet enim in l. 6. C. de

de feriis. cognitio quævis caussarum criminalium inhibita sit, non tamen inhibetur exercitium omne vocationis, quod vocant, operis, fac. Scaccia de iudic. libr. 2. cap. 5. num. 115. nec in illis vetitum est terris, ubi major est ratio dubitandi, propter superstitiosa, quæ per id tempus servant, jejunia, de quibus latè nos informat Lud. Rodolf. de Sabloneta tract. de modo viv. id dieb. Quadrages. per tot.

LXIV.

Quod verò Actus jurisdictionis civilis concernit, & quidem ^{De Volun-} Voluntariæ; Eos omnibus diebus, nec iis qui honori divino dica- ^{taria lu-} ti, exerceri, haut est prohibitum, Dd. communiter, Wesenb. parat. ^{rud. actio-} ff. de feriis. num. 5. ampliss. Dn. D. Hahn ibid. & alii. Cui assertioni ^{bus.} licet dubium moveat cap. 1. de feriis. ut habet Abbas in cap. fin. sub num. 18. eod. dicens: Quod si per illud cap. prohibeatur ne peragantur in die festo extrajudicialia, videantur & inhiberi voluntariæ jurisdictionis actus; unde; inquit, in V. T. prohibebatur Judæis in Sabbato ultra milliare iter instituire ob DEI reverentiam, unde denominata via Sabbatica: Contrarium tamen in huius quæstionis decisione verius esse fatemur cum communi Dd. schola per l. 8. §. 1. C. de feriis ib. Bart. Bald. Paul. Salic. & Bart. ad l. Divus. ff. eod. Tancr. tr. de ord. iudic. libr. 2. rubr. de feriis, in fin. fol. 58. Abbas in d. cap. fin. Aretin. Instit. de except. §. appellatur. num. 29. Marant. Specul. part. 4. disjunct. 16. num. 86. & part. 6. actu 10. limitat. 3. num. 39. Quare in Quadragesimis expediri rectè posse dicemus per d. l. 8. Emancipationes. Menoch. tract. de arbit. quest. 30. num. 4. Foller. tract. de contract. cens. verb. Nicolaus. num. 339. fol. 132. & Manumissiones & Adoptiones, per jam citatos autores. Sed & licita est Tutoris datio. Speculat. in §. sequitur. num. 8. vers. quod autem dixi. Marant. act. 10. num. 39. Foller. num. 140. ubi & de Curatoris datione loquitur: Quod dictum Bald. in d. l. actus. vers. quæro numquid. num. 3. restringit, dicens Tutorem ac Curatorem dari quolibet die posse, si non ex inquisitione detur; & eodem die confici simul inventarium, atque Tutori administrationem decerni per iudicis decretum: quam opinionem sequitur Jacob. de Aret. & Salicet. communemque eam asserit Mandola tractat. de commiss. comm. 13. feriis non obstantibus. vers. sexto quæro. fol. 78. Id tamen dictum intelligit Scaccia de iudic.

l. 2. cap. 5. num. 103. indistinctè procedere, etiamsi per inquisitionem darentur, motus duplici ratione: Quod actus iste sit jurisdictionis voluntariæ, atq; præterea pius ac favorabilis. Ex qua secunda ratione inferri potest, quamvis esset contentiosæ jurisdictionis actus, ut puta quia cogitur invito tutelam suscipere seu curam, possit tamen expediri in die feriato in honorem DEI, sicut scribit Bart. in *l. Divus. sub num. 2. ff. de feriis.* ubi sentit hunc actum tutelæ dationis ex inquisitione jurisdictionis esse contentiosæ.

LXV.

Porro etiam decretum super alienatione rei minoris interponi posse omni feriato die in honorem divinum, sentit Paul. de Castro in *d. l. actus. num. 1. C. de feriis.* ubi miratur, quod Dd. disputent de hoc, additque, licet iudex adhibere debeat causæ cognitionem in favorem minoris, non tamen admittatur contradictor, sicque confirmat esse voluntariæ jurisdictionis actum: Et hanc opinionem tenuit etiam Salicet. in *d. l. actus. sub num. 3.* quam uti verio-rem de jure refert Aret. *Instit. de except. §. appellatur. num. 32. verb. an autem possit.* Hujus tamen sententiæ contrarium tenuit Specul. *de feriis. §. sequitur. in fin.* Cynus in *d. l. actus.* Bald. *num. 4. vers. secundò quero.* & Paul. de Castr. sibi met contrarius in *l. Divus. ff. de feriis.* Mil. *reperit. verb. feriatu diebus non potest.* Marant. *Specul. part. 6. act. 10. limieat. 5. num. 42.* Nicol. *de gloss. contrar. colum. 2. numero 325. fallent. 71. fol. 210.* & hanc uti communem & verio-rem amplectitur Mandos. *d. tract. de commiss. 13. vers. septimò quero. fol. 78.* & ideò si iudex non interponeret decretum, non teneretur, secundum Speculat. supra. Et hæc opinio secundum Aret. *dict. num. 32. in fin.* licet fortè servetur in praxi, tamen priori calculum adiicit Sigm. Scaccia *d. l. motus,* quod licet requiratur causæ cognitio, non tamen exerceatur jurisdictio contentiosa, quæ quando non exerce- tur, procedi potest etiam tempore in honorem DEI feriato. Nam si actus voluntariæ jurisdictionis prohiberentur, quando requiri- tur causæ cognitio, sequeretur, quod instrumenta & transactio- nes fieri non possent, quoniam & in iis adhibetur causæ cognitio à partibus atque notario, hoc autem falsum adstruit *l. fin. de feriis.* ubi Imp. ait: Pacta conferant, transactiones loquantur; & idem sentit

sentit Speculat. in §. sequitur. num. 7. vers. porrò. qui propterea sibi-
met videri potest contrarius, Concludens & dict. loc. num. 5. Quod
possint à Notariis instrumenta confici tempore in honorem D E I
feriato, idemque tenent Abbas in cap. fin. sub num. 16. de feriis. Ber-
trach. tract. de Episcop. l. 1. num. 18. vers. sed quæro. fol. 302. Marant.
Speculat. part. 4. distinct. 16. vers. prædicta tamen. num. 86. in fin. part.
6. act. 10. num. 39. quam veriore & communem testatur Man-
dol. tractat. de commiss. commun. 13. feriis haut obstantibus. vers. quin-
tò quæro. fol. 78.

LXVI.

Veniamus nunc ad contentiosæ jurisdictionis actus, quorum ^{De Contentiosæ jurisdictionis actibus.} exercitium licet regulariter sit inhibitum diebus in honorem Dei
feriatis, ne quidem apud arbitratores, ne dum apud iudices per l. 2.
& 7. C. de feriis. Dn. D. Hahn ad Wesenb. num. 5. Jas. in l. 1. num. 4.
ff. de feriis. Panorm. ad cap. fin. de feriis. & passim Dd. Marant. in
Specul. Mandosa tract. de commiss. Wurmsler. t. 11. observat. 3. in fine.
Johan. Baptist. tract. de arbit. Johan. de Oriano eodem tract. part. 7.
quæst. 6. num. 7. fol. 215. Menoch. de arbit. l. 1. quæst. 30. quam com-
munem esse testatur opinionem Gail. libr. 1. observat. 53. num. 16.
quod privatorum pactis juri publico non possit derogari per textum
notab. cap. si diligenti. 12. X. de foro compet. paulò tamen secus se id ha-
bet in Arbitratore, Jason. dict. loc. Menoch. d. quæst. 30. num. 17. post
alios. Qui actus in Foro Sui, ut loquuntur, validius habetur, re-
spectu autem Fori Poli non sine peccato dicitur, nisi ex laudo fe-
rendo aliqua pax sequatur atque concordia, ut hoc declarat Abbas
cap. quinta vallis. different. 13. num. 22. de iurejurand. quem sequitur
Johan. Baptist. tract. de Arbitr. l. 11. cap. 10. fol. 283. fol. Sigmund.
Scaccia l. 2. de iudic. cap. 5. num. 18. & seqq. Notandum præterea
laudum illud si valeat, fieri absque citatione, quæ die feriato inter-
poni non potest. Johan. Baptist. de S. Blas. tract. de arbit. & arbit-
rat. quæst. 48. num. 89. fol. 303. Neque in summaris, sine iudicii
figura solemnitateque juris, quòd id sine testibus peragi nequit.
Gloss. Clem. sapè. verb. ob necessitates. de verb. signific. Papinian. pra-
ctic. in form. libelli actio. Decius vers. secundo inferitur. Luc. Pat. in
practic. capitul. l. 4. cap. 1. sub num. 5. quæ communis est opinio. &
valet.

valet, etiamsi sola facti veritate inspecta possit cognosci, Scaccia d. tract. l. 1. cap. 53. num. 23. quæ omnia & in Syndicatus causa locum habent, per ea, quæ scribit Amod. tract. de Syndicatu. num. 220. Paris. de Puteo eodem tract. in verb. feria. fol. 268. contra tamen sententibus Bald. tract. de Syndicat. quest. 10. num. 40. Carald. eod. tractat. num. 22. vers. adde quod contra. & sibi met contrarius Amod. d. loc. num. 182. in fin. quæ sententia & consuetudine servatur, & expressa constitutione Picenæ l. 2. c. 40. cauta est.

LXVII.

Nec valet præterea lata in die feriato sententia in causa præteritorum alimentorum. Scaccia d. l. num. 26. & 49. Nec talis sententia procedit, etiamsi cum facultate procedendi commissa esset, singulis horis atque diebus feriatis nec feriatis. Mandos. tract. de commiss. comm. 13. feriis non obstantibus. vers. feriarum ibi secundus casus. fol. 76. & Marches. eod. tract. part. 1. commiss. 8. derogationis feriarum. c. 1. num. 48. & 52. propterea, quod verba ita sunt in dubio accipienda quo minus jus commune corrigant: Quæ omnia nobis demonstrant quatenus & quanta sit probatio exercitii actus contentiosæ jurisdictionis in diebus in honorem DEI feriatis. Ita ut nullus, vel Petitorii (sive actio sit Realis sive Personalis, & sive ex contractu vero, sive nominato, vel innominato, aut quasi contractu) vel possessorii iudicii actus exerceri possit, propter honorem cultumque divinum, cui merito vacamus. Unde queritur: annon in Quadragesimis quæ in honorem DEI, ut ei temporis offeramus primitias, introducta sunt, (per ea quæ tradit Durand. ex c. Quadragesima de consecrat. distinct. 5. & Rodolfin. tractat. de modo viv. in dieb. quadragesim. num. 5.) hæc omnia exercere permissum sit? Quod, salvo aliorum iudicio, negare non possumus, neque enim actus isti per tanti temporis intervallum ex hominum singulorum totiusque Reipublicæ salute quiescere possent: Atque ita absolute respondet Placent. in Summ. Cod. de Feriis. Quæstiones, inquit, Civiles ventilari possunt, præterquam diebus Dominicis, & in solemnitatibus Apostolorum, nec non Sanctæ matris Domini, si inciderit; extat enim tantum prohibitio specialis in l. omnes dies. C. de Feriis. de XV. diebus Paschalibus in quibus omnis iudicii quiescat strepitus

strepitus, id quod & hodie in viridi est observantia, teste O. C. parte 2. cap. 33. Quæ cum ita sint, modò nominatos iudicii actus in Quadragesimis sine superstitione exercere licebit; utcunque in aliis honori divino dicatis diebus non nisi in summæ necessitatis casu peragantur; veluti si de fuga debitor sit suspectus, tunc enim eum omni tempore omnibusque feriis capi posse probat Bart. ad d. l. omnes dies. Paul. de Castr. *ibid.* Benninc. *tract. de pauper. eiusque privileg. quest. 8. speciali 8. num. 6. 7. 8. fol. 12.* Surd. *tract. de aliment. t. 8. privileg. 2. num. 12.* Prosp. Farinac. *in qq. criminal. l. 1. quest. 27. num. 107. vers. limita primò.* quam communem sententiam esse Maranta testatur, cui Fossan. *decis. 39. num. 7.* refragatur. Vel si res tempore sit peritura, quæ moram ideoque non patitur: *per. c. fin. & ib. gloss. verb. necessitatis.* & Abbas *de Feriis.* adde & post alios Gail. *lib. 1. obs. 53. num. 13.* quæ communis est opinio, teste Bart. *ad l. Divus. ff. de Fer. nec illud sacris averfatur literis, Luc. 14. v. 5. nec Juri Canonico, c. licet. de Feriis.* & *ib. Abb. iung. Scaccia d. tract. l. 2. c. 5. n. 36. & 117.*

LXVIII.

Secus olim fuit in Galliis universis, ubi non modò causæ ca- *Consuetu-*
pitales & civiles per istas feriales dies conquieverunt, ut tradit inter *do Gallia.*
cæteros Ludovic. Aur. *in Panegyri.* nec invaluit mos contrarius,
nisi, postquam sede motâ considerare cœpit Senatus apud Lutetiam
circa Ann. 1302. & 1315. quo Anno Hutinius ordinem superba
illa Palatii paterni statione donavit, quod paulò antè extructum
fuerat & cuius immensa in hunc diem nec apud confines tan-
tùm populos, sed vel ad Bosphorum usque Thracicum celebri-
tas crevit, usque aded ex illis temporibus, aut potius reddita sibi
fuit, Jurisdictio Regia, quæ tunc ferè tota penes Ecclesiam, ut
alia decurrentis nulla tempestas circa lites, actionesque fori pu-
blicas occupatio, longioraque multò patronis, quam aliis anni
partibus, perorandi tempora. Si enim majores incidant causæ,
& quæ plures iudicum desideraturæ sunt sessiones, reiiciuntur
illuc de more, in eaque tempora, quod vidimus sapissimè: & quan-
to ingenii lumine quasque acies inter militares fulgurarit, mo-
veritque audientium animos facundia, quæ & doctis olim Roma-
nis laudata non semel suspeximus; hæc ita nobis tradidit Anton.

G

Mor-

Mornac. ad l. 6. C. h. t. confer Autumnum de moribus Gallorum & Collat. lur. Roman. in l. 6. Cod. h. t. & in l. 8. abolitio ad Senatusconsultum Turpill. Hodiè tamen apud Gallos, testante dict. loc. Mornac. huius sacræ constitut. d. l. 6. uis superest in Sancta, quæ Pascha antecedit, hebdomada, & altera quæ sequitur. Utræque enim & Criminales, Civilesque cognitiones à die Martis ad Pascha usque tribus postea diebus, nempe in diem Jovis, prorsus desinunt, nefastique sunt VIII. duntaxat aut IX. ex feriis Paschalibus dies, postea renovantur operæ judiciales. Hæc ille.

LXIX.

De alijs
Actibus
prohibitis.
De Cho-
reis.

Ab his ad alios nonnullos actus Quadragesimali tempore prohibitos veniamus, sic enim Menoch. cas. 69. numero 61. de arbitr. iudic. qu. tradit: in Quadragesimalibus diebus abstinendum esse à Choreis & saltationibus etiam licitis, Addatur Johann. de Turrecrem. in cap. cobibeat. num. 13. de pœnitent. distinct. 5. idque sub pœna peccati mortalis, ut ait Sylvester Prier. in summa. in verb. Chorea. sub num. 2. ubi declarat hoc procedere, nisi choreæ & saltationes fuerint occultæ, vel ex publica lætitia, puta partæ victoriæ, vel à talibus, quos excusat ignorantia, fiant, vel ubi esset ob festi præcipui lætitiæ consuetum. Hinc inferunt: Episcopum posse prohibere choreas ac saltationes fieri ultra dimidiam noctem carnisprivii, ut adversus Nevizan. disputat Menoch. in cas. 69. num. 60. usque ad finem. de arbitr. iudic. qu. Neque hoc omninò improbandum: licet enim prohibitiones ejusmodi temporales rebus indifferentibus imputentur, ac ferè libertati Christianæ relinquuntur: Neque tamen in Adiaphoris ac ritibus Ecclesiasticis nimium licentiæ indulgendum; Est enim Christiana libertas faciendi licentia non quod libet sine discrimine, sed includit bonum ordinem in Ecclesia, sine quo aliàs multa fierent, quæ Deo displicerent, Frid. Balduin. de cas. conscient. l. 2. cap. 13. cas. 8. pag. 488.

LXX.

De Nu-
ptiis.

Meritò itaque reprehenduntur, qui Quadragesimæ item Adventus tempora ita negligunt, ut nec nuptias celebrare, aut alias lætitiarum amœnitates per hæc tempora admittere, religioni ducant.

cant, vid. Calvin. l. 4. *Instit. cap. 19. §. 39.* Sohnius tom. 1. *oper. disput. de Matrimonio, th. 78. contra c. 8. & 10. & 11. caus. 13. q. 4.* Quamquam fatendum sit, recentiores canones prohibitionem eam nimis ampliasse in c. *Capellanus. 4. X. de Feriis.* Sanè cum Adventus ac Quadragesimale tempus, passionibus Domini nostri JESU CHRISTI concionibus ac meditationibus dicatum sit, quo seriam agamus poenitentiam & nos ad Paschatos Festum sanctissimum preparemus, nuptiales interim festivitates haut temerè suspenduntur, vid. Gerhard. *loco de Coniugio. §. 469. p. 624.* quæ ratio etiam in Ord. Eccles. Sereniss. Elect. Saxon. *art. gener. 13. & Ord. Matrim. de Anno 1624. punct. 5.* indigitatur. Qui enim nuptias parant, multis sunt occupati negotiis, ut sacris his meditationibus vix interesse queant, quin & ebrietatis lasciviarque præbent occasionem, quæ vitia quamvis semper fugienda, ut sacris adversa literis, cum primis tamen per hoc sanctum Quadragesimale tempus omnè, quæ nobis ad ea fenestram aperiunt, occasionem evitemus. Carpz. *jurispr. Consist. l. 2. t. 8. def. 151.* apud quem legere poteris tria Rescripta Dresdensis Senatus Supremi Consistorii: à qua sententia, sine singulari causa, indultuque Principis speciali ac Magistratus Ecclesiastici dispensatione, haut facilè recedendum Carpz. *d. l. def. 152. ex Ord. Eccles. Elect. Sax. art. gen. 13. §. Weil auch, & Ord. Matr. de Anno 1624. punct. 5. §. Weil auch zu zeiten, & ex Decret. Synodal. de An. 1624. §. Und weil die Alten.* Nec tamen hac ratione Pontificis placitis parasitamus aut potestati vel tantillum concedimus, uti Puritani calumniantur, sed quod piam justamque animadvertimus hanc prohibitivam, ita & alia multa eadem perpulsi ratione, plurimis in casibus Pontificum jura in Provinciis Principum ac Statuum Evangelicorum usurpamus & amplectimur juris ad instar proprii, quod spontaneo consensu in vim consuetudinis receptum est: Gædd. *de contr. & committ. Stipul. c. 6. concl. 7. n. 109.* Regn. Sixt. *de Regal. l. 1. c. 4. n. 118. in fin.* Reink. *l. 2. cl. 2. c. 7. n. 3.* Limnæ. *de l. P. l. 8. c. 8. n. 17.* Everhard. à Weihe (qui se & Varemundum ab Ehrenberg nominat, interdum & Durum de Pasculo.) *in Orat. de iure Canon.* Et hoc ius quam maximè sequimur, in rebus quæ rationi pietatiq; conveniunt juriq; divino haut averfantur, Matth. Steph. *de iurisd. l. 3. part. 1. c. 3. n. 23.* In quibus autem casibus Juri Pontificis standum, id latius docet Rittersh. *proem.*

Διέξοδ
de Dispens
sationi-
bus.

different. iur. civ. & Can. in fin. Hanc & sibi dispensationem reservavit Sereniss. Sax. Elector: Non enim Principis potestas ita restricta est, quin juri positivo vel recepto, non obstante Lege divina, derogare queat. *Zal. ad l. princeps. n. 12. in fin. de LL. Gail. 1. obs. 14. n. 6. cum is legibus solutus, l. 31. ff. de LL. l. 14. §. 1. de manumis. l. 3. C. de quadrien. præscr. l. 6. C. de donat. int. V. & Vx. eamq; dispensationem probamus præjudiciis tribus, quorum unum factum est à Supremo Dresdensi Consistorio Pirnensi Superintendenti, d. 23. Nov. an. 1614. alterum Superintendenti Dresdensi d. 27. Nov. an. 1617. tertium verò Misnensi Superintendenti die 12. Febr. an. 1610. idq; vel magis licebit, quo tempus à Festo Paschatos saluberrimo remotius est, quo verò magis hoc appropinquat, eo sanctius erit tempus, eoque difficilior hac in re dispensatio, monente Carpzov. d. l. def. 153. Est autem omnibus permessa Magistratibus dispensatio, cum vel ipsum DEUM cum hominibus dispensasse comperiamus, à quo ea suam sortita primam originem, fatente Speculat. *Rubr. de Dispensat.* Dispensationis, inquit, remedium originem à DEO trahit, qui ex sola misericordia ac dispensatione universa creavit, & ea hominibus subiecit: Exempla eius habemus in primi orbis inhabitatoribus, *Genes. cap. 6. vers. 3.* In Sodomitanis ac Gomorritanis, *Genes. cap. 18.* In impio Israëlitarum Rege Achabo, *1. Reg. cap. 2. vers. 29.* In Hiskia, *2. Reg. 20. vers. 17. 18. 19.**

LXXI.

Hanc autem dispensationem à Majestate Summâ, IMMORTALI DEO, mortalium generi datam ac permissam, haut dubiè Religiosissimus agnovit Imperator Justinianus, cum in *Novell. 82. cap. 4. in fin.* deprædicet DEUM tot tantasque liberalitates in se explicuisse, quantas nulli majorum unquam dederit. Hanc, inquam, dispensationem cum DEUM facere videamus in subditis suis, quorum numero totum venit genus mortalium, haut erit illicita pronuncianda in DEI per orbem vicariis, *argument. cap. exemplum 12. caussa 12. quæst. 1.* nec enim famulus debet esse avarus, ubi largus dispensator invenitur dominus, ait Specul. *sub rubric. de dispensation.* Quare Principes titulo gaudent, *Wir von Gottes Gnaden* / quem omnibus suis præfigere solent diplo-
mati-

matibus, ac de his nullum fortè dubium erit in his Magistratibus, qui supereminenti fruuntur dominio ac Jure Maiestatis, in Regibus atque Principibus. Quamvis autem dispensatio numero Regalium non veniat in Constitutionibus Friderici, ubi Regalia recensentur, 2. F. 56. tamen scias multa Regalium numero venire, quorum ibi nulla fit mentio, monente Sixtino *de Regal. proœm. num. 9. & cap. 2. & 34.* Meritò itaque hanc iuribus Maiorum Regalium, tanquam supremæ eminentiæ signum ac potestatis Reipublicæ tuendæ gratiâ competens, adscribendam censemus, quod tamen & mediatis Imperii Principibus vel Comitibus, tanquam singulare jus, communicari potest. *Besold. conf. 199. num. 16.* Sed hæc persequi longius, nostri hæc vice non est instituti.

LXXII.

His *κατασκευασ* interjectis, ad nostram revertamur materiam, Dicemusque porrò, quod in hoc sacro tempore cum primis cavendi sint omnes actus peccatum involventes, puta: Superbia, Luxus, Simultas, Odium, inimicitia, Rixæ, Histronica & verborum Scurrilitates, omne demum inane otiosumque colloquium, noxiū ac criminofum, Persicus etiam evitetur epularum apparatus, magnaue convivia: contrà frequentemus Ecclesias, quò peccata eò seriùs lugeamus, ut habetur in Concilio Provinciae *Mediolanensi. tit. de obs. jejun. cap. 12. & 13.* ubi dicitur *in §. fin.* quod aegroti, cùm ob corporis invaletudinem jejunare non possint, cibum intimo animi cum dolore & gemitu capere debeant. Debemus & simili ratione fugere ludos, non modò vetitos, sed & permisso, ut ludum Schachicum, quem eo tempore haut permisso dicit Paris de Puteo *tract. de ludo, num. 12.* confer Richardum de Mediavilla, & Caccialup. *tract. de ludo, sub num. 59.* Abstineamus & à venatione saltuosa per illud Quadragesimale tempus, ut ait glossa *in capit. qui venatoribus. distinct. 86. cap. jejunium. de consecrat. distinct. 5.* & Sebastian. Medices *tract. de Venat. quest. 11. num. 3. part. 1.* quod & cautum in Concilio Provinciae Mediolanensis *tit. de observat. jejun. cap. 13. §. At venatoribus.* Quod tamen urgente necessitate fallit *per g'oss. in dict. cap. Qui venatoribus. distinct. 86. & Sebastian. Medices in d. quest. 11. sub num. 3.* Præterea, & nisi

De Variis actibus in-
hibitis.

De ludis.

De Venatione.

*De jejuniis
Quadragesimali.*

superstitiosi nimis essent Pontificii, nec malè eos dicemus instituisse abstinenciam ab esu non modò carniùm, quo magis quotidie pullulantes refrenentur affectus, sed & lacte, caseo, butyro, similibusque, *in cap. Denique. distinct. 4.* Antonius de Butrio *in rubric. de observat. jejunii. num. 11.* & ibidem Abbas *sub num. 5.* Henric. Boich. *in cap. 1. num. 11. vers. 51. Quæris. eod. tit. Decius cap. ad audientiam. num. 27. vers. Est etiam illud præcipuum. de Rescript. Johann. de Turrecrem. cap. Rogationes. num. 5. de consecrat. distinct. 3.* Concilium Provinciae Mediolanens. *tract. de observat. jejun. cap. 10.* quod in aliis jejuniis secus est, docente Antonio de Butrio, Decio, Johan. de Turrecrem. & aliis. In quibus consuetudo variat, ut & in modo jejunii, qua in ratione nos propter superstitionem Pontificiorum nimiam, quæ cum initio Apostolorum tempore non fuit, sed post demùm nata, Centur. Magdeburg. 1. *libr. 2. cap. 10. pag. 577.* Quare nos ab iis recedamus, ne conscientiae laqueum imponamus, qualem fictus ficti Abdia Matthæus fecit, ut *dict. loc.* Centur. Magdeburgens. habent. Sufficit enim, modicè vivamus. quò serius sobrio corde DEO quotidie preces offerre possimus: Sed hæc latius persequi, cum potius sit labor vanus & inanis, quàm proficiuus & dignus, superfedebimus, remittentes huius superstitionis ritus sciendi cupidos ad Juris Canonici varios textus, eorumque commentatores, de quibus & latius consulatur *Rodolf. in tr. de modo vivendi in diebus quadrages.*

LXXII.

*Ratio decidendi
legis 6. C. de
feriis.
& caremo-
nia seu ri-
tus Qua-
drages-
malis.*

Et horsum collimat ratio decidendi Legis nostræ, quæ nobis varias ab antiquitate caremonias institutas insinuat, in verbis *propter caremoniarum auspicia*, quæ proculdubio in vigiliis, precibus, jejuniis posita fuerunt, prout hæc latè persequitur Rodolf. de Sabloneta *in tract. de modo vivendi in diebus Quadragesim. nec non Guil. Durandus rational. divin. offic. lib. 1. cap. 3. cap. 34. & lib. 6. cap. 28. num. 7. 8. 9. & c. Johannes de Beleth. cap. 85. & 86. Centur. Magdeburgens. 12. cap. 6. pag. 912. & Did. Covarruv. lib. 2. tom. 2. cap. 20. num. 1. Hospin. de fest. pag. 40. De Pomeranis etiam observavit Otto Bambergensis, eos Quadragesimam, jejuniis, vigiliis, Eleemosynis, orationibus, celebrasse, ut ex eo retulère Magdeb. Centur. 12. cap. 6.*

cap. 6. pag. 912. qui porro de quadragesimalis jejunii diverfitate videri possunt. Imperator noster tantum ab iis, quæ cruentum præbent spectaculam, abstinere cives jussit: Pontificii etiam Nuptiales ritus; & choreas prohibuere, Menochius in *cas. 69. num. 61. de arbitr. judic. quest.* cum tempus hoc sit luctus ac pœnitentiæ, ut ex Autore *Ration. Divin. offic.* paulò ante retulimus, ita & tempus hoc appellat Otto Frisingensis, teste Centur. Magdeburg. 7. § 34. Religiosos dies vocat Crantzius in *sua Vandalia*, teste Centur. Magdeburg. 4. cap. 28. Eius rei vindicandi causa in templis ac sacris ædibus Tympanorum, Organorumque pneumaticorum cantus suspenduntur; imò ornamenta etiam, saltem in posteriore ante Pascha hebdomade removentur ac conteguntur, & insuper indicio, ut quidam volunt, quia tunc in CHRISTO JESU divinitas absconsa fuerit atque velata, cum se capi ac flagellari siverit, ut homo aut vermis, non habens ullam Divinitatis virtutem. Eoque trahunt dictum Johannis 8. v. 59. *Ἰησοῦς ἐπελάλει, καὶ ἐξήλθεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ διελαθῶν διὰ μέσσω ἀνθρώπων καὶ παρήγεν ἕτος.* Guil. Durandus *ration. divin. offic. lib. 1. cap. 3. num. 34.* Illa ferè nugatoria ratio est, quod Quadragesima sit totius anni pars decima, quo tempore & temporis decimam DEO nostro solvere æquum sit, & licet annus habeat dies 365. tamen non solvit decimam de illis quinque diebus, sed solum de diebus 360. postea tamen additos dies Quatuor, ut numerus à Decimo consecratus impleatur, quia pro decima non essent nisi 36. dies, cap. *Quadragesima. dist. 5. de consecrat. Gemin. cons. 37. num. 2. vers. de hoc est text. Tusc. in voce Quadragesima.*

Organorum
ornamenta
in Eccle-
siarum.

LXXIV.

Rectius argumento Legis nostræ concluderimus: quia hoc tempore ab omni cruento spectaculo abstinendum sit, ideò multo magis à gentili & impia larvatorum Bacchanaliorum consuetudine abstinendum esse, quod in Pontificiis ex ipsorum testimonio carpit Stapletonus, teste Riveto *de heresib. quest. 1.* notat & hoc in Evangelicis Hospinian. *de orig. festor. Christian. pag. 39.* nec non Ampliff. Dn. Carpozov. *jurispr. consist. lib. 2. t. 17. desin. 254.* cum isti rei tempus sit inconvenientissimum, quo sancta Mater Ecclesia piè recordatur passionis Dominicæ, & satisfactionem Christi pro peccatis nostris.

De Bacchanalibus.



nostris inculcat, *d. l. Carpzovius num. 25.* ostendentes, mores eos planè confimiles esse Romanorum Lupercalibus, aded ut si quis hæc viderit celebrare, vel sanctè juret, nefandos ludos celebrari, imò Bacchanalia ista eorum furorem & insaniam superare haut temerè quis pronunciaverit, quare originem eorum principalem Dæmoni, qui ita hominum mentes ad mala semper impellit, & rugientis instar obambulat Leonis, ad seducendum mortale genus, adscribit Divus Augustinus, *quando ait: Per immundos Dæmones, Bacchanalia sacra, vel potius sacrilegia sunt instituta, lib. 18. de Civit. Dei, cap. 13.* idque rationibus defendit Carpzovius *d. l. num. 19. & seqq.* Quomodo verò peragantur Bacchanalia, ostendit *d. l. Hospinianus, Leonhard. Hutter. nucl. 1. pass. p. 1. Thummus de Fest. Judæorum & Christianor. pag. 93. & seqq. Iacob. Herrenschild de Bacchanalib. allegatis ad id versibus ex Taubmanno in Melodæsia pag. 549. Thoma Neogeorg. lib. 4. Regni Papistici pag. 138. Ovid. Metamorph. Qui ritus sua primùm ceperunt initia in Hetruria, ut docet Livius lib. 39. edit. Francofurt. in fol. pag. 490. num. 34. ac latius id ostendit Rosinus de Antiquit. Rom. cap. 16. pag. 655. Tradunt equidem nonnulli, hanc recreationem à primordio habere piam ac honestam institutionem, quæ post in impiam & inhonestam degenerarit; namque primitus bono hanc recreationem sine admittisse Ecclesiam, ut aucte Quadragesimalis jejunii ingressum populus delinitus gaudiis ad obediendum præcepto jejunii adderetur alacrior, Jodoc. Lorich. in voce Bacchanalia pag. 19. Carpzovius Jurispr. Consist. *d. l. num. 6. & 7.* possentque eò adduci *l. ut profanos 4. ibi: Festos conventus civium & communem omnium letitiam non patimur submoveri. Cod. de Pagan. l. unic. ibi: Reddatur provincialibus Maiuma letitia. Cod. de Maiuma XI. 45.* Sed quia hæc omnia instinctu postea Diabolico in maximum nefandumque degenerarunt abusum, ut ostendunt Jodoc. Lorich. *d. l.* & Herrenschild, & ex his Carpzovius *d. l. Magistratibus incumbit, ea quæ ab honestis recreationibus aliena sunt, d. l. unic. ibi: ita tamen, ut servetur honestas, & verecundia castis moribus perseveret. Cod. de Maiuma XI. 45.* gravissimè prohibere & punire. Id quod factum videmus à Serenissimo Saxon. Electore singulari Rescripto ad Superintendentem ac Senatam Annebergensem die 20. Februarii 1628. Qua in re laudem merentur Angliæ Reges*

Reges, capitale judicantes delictum, si quis personatus & larvatus incedat, Polydorus Vergilius *de invent. rer. lib. 3. cap. 17.* & Franciscus I. Galliarum Rex publicis edictis larvarum usum è medio sustulit, Gesnerus *in Orat. de Bacchanalib. Anno 1600. Witteberga excusa.* Et Theodosius Imperator Larvatorum insaniam funditus evertit, Theodoretus *lib. 8. Histor. Eccles. cap. 20. circa finem.* Quos etiamnum hodiè Principes ac Magistratus imitantur, festum hoc Bacchanaliorum planè damnantes ac prohibentes rectissimè, contra eos, qui huius insanix patrociniū in sacris Scripturis quærunt ex loco *Genes. 37.* in Jacobo: & ex loco *Iosua c. 9. vers. 5.* ubi traditur Gibeonitas veteribus indutos vestimentis pacem à Josua quæsivisse; nec non ex loco *1. Sam. 19.* Sed hæ sunt ineptiæ, quas pleno cornu refellit Herrens Schmid. *de Bacchanalib. p. 31. & seqq.* & vel hæc omnia impia & Diabolica esse, historia docet illius juvenis, qui habitu indutus Bacchico, larvaque Diabolica deformatus, Magdeburgi noctu vivus à Diabolo fuit abductus, Tiles. *in Postill. part. 1. pag. 421* notissimumque huic imprimis regioni Dn. Comitibus à Tübingen in arce Lichteneck exemplum, item Sylvii Ottonis, qui noctibus vagari solitus, pugione tandem se ipsum interfecit. Sueton. *in vita eius.* & Smyrnæorum, qui urbem Smyrnam, Bacchi sacra celebrantes, amiserunt, seque ipsos in vitæ periculum temerè conjecerunt, Herodotus *in Clio.* Plura videbis exempla apud Herrens Schmid. *d. l. pag. 59.* quæ quemvis meritò ab impio hoc ritu absterrere debent, hoc cum primis sanctissimo tempore, quo pœnitentiam serid agere, ac peccatorum remissionem petere debemus; hoc enim est illud tempus, quod æternæ beatitudinis statum significare ac nobis representare debet. Quare non modò choreæ inhibitiæ sunt, ut ante indicavimus, sed & Quæstionum criminalium cognitio, propter cruentum illud spectaculum.

LXXV.

Nec officit legis nostræ interdicto *l. Provinciarum. C. de feriis.* Contraria
 Ea enim de publicis, gravissimisque, quæ moram omninò non *seu opposi-*
 patiuntur, delictis agit, de quibus, cum superius sat dictum, eò lecto- *ta.*
 rem remittimus. Possunt etiam alia scrupulum movere: Ita de huius *l. 10. C. de*
 constitutionis vigore planè poterit & quis dubitare cum ea sine *feriis.*
 Consule Codici nostro inserta sit: diesque præterea latæ huius con- *De die &*
 stitutionis variet, Ponitur enim in nostro Codice dies Kalendar. *Consule*
Legis no-
stra.

H

Aprilis

Aprilis, at in Codice Theodos. dies VI. Kal. Aprilis, cui magis, ut in frontispicio huius dissertationis docuimus, credendum est: In hoc dicto Codice Theodos. videmus & præterea Consules, sub quibus hæc lata constitutio, additos: cur idè hi in nostro Codice omitti, rationem non video. Quæ verò licet ita sint, nil tamen erit dignum, quod nos de constitutionis huius vigore dubium movere queat, cum Justinianus in §. 2. de Nov. Cod. fac. doceat omnes eiusmodi constitutiones Codici insertas vi sanctionis Imperatoriæ plenum robur accepisse. fac. Constit. de Iustin. Cod. confirm. §. 3. Quare Augustinus in collatione tertia diei cum Donatistis ait: Evidentissimè legibus definitum est, Imperialia constituta, etiamsi Consules non legantur, in dubium non vocari, adde Cuiacium ad l. 4. C. de divers. rescript. Pacium ad l. C. eod. §. 7. membr. 2. confer Paponem 3. notar. 5. cap. de la datte des rescripts. Nec officit l. 4. Cod. de divers. rescript. cum ea non de constitutione generali, quæ Corpori Juris inserta, loquatur, sed de speciali tantum privilegio uni vel alteri concesso, Gothofred. ad h. l. & gloss. ad d. §. 2. de Nov. Cod. fac. ita singulare est & in libello Accusationis, qui ob Diei & Consulis omissionem hæc valebit, per l. 3. pr. ff. de accusat. Et in testamenti factione argum. l. 2. §. 6. ff. testam. quem adm. aper. moris olim quam maximè fuisse, ut Dies & Consul adscriberentur, videmus, teste Cicerone famil. Epist. 29. lib. 13. Si tamen utrumque sit omissum, id nec obesse testamento, nec de eius esse necessitate, post Pythæum ex veteribus refert Cuiac. in l. 20. C. qui testam. fac. poss. quod tamen alii ex necessitate testamenti esse dicunt.

LXXVI.

Poterit & contra totam huius materiæ tractationem quis insurgere, quasi ea modum excedat, cum Sigism. Scaccia l. 2. cap. 6. de iudiciis. breviter, dicat, hæc saltem expedienda esse, cum de feriis in causis criminalibus vel nunquam vel rarò soleat disputari; At his per inversionem respondebimus. Ut enim vel in his hallucinari quis possit, jam supra ostensum est; Et quamvis de aliis feriis magnis hoc verum sit, dubitari tamen observavimus de Feriis Quadragesimalibus; idq; nobis, ut hoc juris problema tractandum susciperemus, ansem occasionemq; præbuit. Si verò Theologorum foro convenientiorem dicas huius materiæ quadragesimalis tractationem fuisse. Discernemus rem consideratam à modo considerandi: Utcunque enim

De apta
materia
huius tra-
ctatione
& necessa-
ria.

Aliter hac
materia.

enim feriarum istarum consideratio etiam ad Theologos spectet: *rectè tradatur.*
certo tamen considerandi modo Ictis quoque merito conceditur. In quo Formali seu Modo considerandi cum totius Rei Esse versetur. Clariss. Dn. Stahl. *de Reg. Philos. t. 5. reg. 4.* Id ideo maximè respicimus ac dicimus, Ictum & de diebus agere Quadragesimis, considerando quatenus in iis iudicia exercere & jus dicere Iudici, ac quibus in causis permissum sit nec ne, id enim indicat §. 1. *Instit. de Iustit. & Iure. l. 11. §. 2. ff. eod.* ubi Jurisconsultus ait: In cognitione & Divinarum rerum occupatos esse Jurisconsultos, quatenus in iis iusti consideretur & iniusti scientia. Ubi Res Divinæ commodè possunt intelligi, non ex tantum, quæ ad ritus & cultum externum pertinent, sed etiam ex, quæ religionem ipsam, seu dogmata respiciunt, quanquam non tam ratione veri falsive, quatenus scilicet in disputationem vocari determinarique ac decidi possunt, (quæ tractatio ad Theologos ex professo pertinet) quàm ratione iniusti, quatenus sub rationem cadunt politicam. Et sanè in Republica Christiana non nisi secundum DEI Verbum præcipere quid solent Magistratus ac debent, *Deut. cap. 13. vers. 5. & seqq. cap. 17. vers. 19.* Jungatur latius de his H. Grot. *tract. posthum. de Iure summar. potestatum circa sacra, & cum primis Dn. Conringi Præceptoris mei plurimum colendi disputat. de Maiestat. civ. aut. & offic. circa sacra*, cum omnis Magistratus ab ipso summo DEO suam habeat originem ac potestatem: Est namque, inquit Balthasar Mentzerus *in Exegef. A. C. artic. 16. §. 5.* Magistratus potestas à DEO ordinata, & armata gladio, ut sit custos Divinæ doctrinæ & bonarum legum, ad conservandam pacem in hominum societate. Confer Dn. Locamer. *quæst. 5. & latissimè Dn. Doct. Biccium Fautorem & Præceptorem meum observandissimum, (quem lectulo affixum Deus clementer sospitet, ac diu servet) in disputatione inaugurali posit. 5. & 6. per tot.* Hac occasione haut esset incongruum & aliquid adjicere de hac Quæstione, An Juris Canonici tractatio potius ad Theologos, an ad Jurisconsultos pertineat? sed illam hac hac vice silentio malimus præterire, quàm brevitate temporis exclusi, pauca tantum proferre.

LXXVII.

Movere quoque poterit quem fortean illud Psalmistæ: *Beati* *Explicatio*
Verborum
sunt qui justitiam faciunt omni die, quod hodieque fortè respici *psalmistæ:*
magis, *Beati sunt*

H 2

qui faciunt
justitiam
omnidie.

magis, atque l. 6. C. de Feriis. putat Peretz num. 8. de Feriis. & Scaccia l. 2. c. 6. n. 11. de iudiciis. & exinde Divino magis esse obediendum præcepto quam hominum, Actor. 5. v. 29. at hæc, adhibita interpretatione justa, nullatenus inter sese pugnant: Non enim Psalmista de diebus loquitur, in quibus à Magistratu inhibita est specialiter caussarum cognitio: Cum Magistratûs ordinationem seu Politias non aboleat Evangelium, sed toleret, quippe non hæc contraria, sed diversa sint: Itaq; vox OMNI DIE limitativè accipienda, de diebus in quibus non est inhibita specialiter caussarum cognitio. De quibus jam olim Statius in genere cecinit lib. 4.

*Certè jam Latia non miscent iurgia leges,
Et pacem piger annus habet, messesq; reverse
Divisè re forum, nec jam tibi turba reorum
Vestibulo, quarulig; rogant exire clientes.*

Minutius Felix in 8. ad Vindemiam, inquit: Feriæ judiciariam curam relaxarunt.

LXXVIII.

Renunciatio
feriarum.

An autem Reus ipse, renunciare his feriis possit, quæri hic extremo loco non incommodè poterit; & affirmativam tenebimus cum Dn. Marco decis. Pedemont. 410. quem, remotis dubiis, hic latius consule. Confer & de his Psalmista verbis supra th. 53.

LXXIX.

Multiplificatio
feriarum.

Præter hæc tandem cum primis hic scrupulum movere possunt ea, quæ contra feriarum nimiam multiplicationem ex nostris disputat Wesenbec. in tit. de Feriis. num. 8. Meisner. in præfat. Evangel. festival. Rivetus in Apolog. pro S. Maria semper virgine. l. 2. c. 13. Unde forsân desuetudo illa seu contraria consuetudo, de qua Gronvvegen de LL. abrogatis, ad h. l. 6. Ziipæ. in notit. lur. Belgici, in fin. Peretz num. 8. C. h. t. Gothofred. ad h. l. 6. & Baldus aliique testantur; quorsum etiam pertinet illud Scacciae l. 2. cap. 6. num. 20. Quo seductus optimus Antecessor Obrechtus, nimis liberaliter pronunciavit, nullo juris textu executionem hoc tempore prohiberi. Sed cum ad hæc facilè responderi possit. 1. Modum hic nos laudare cum Imperatoribus, non excessum. 2. Nec omnes necessa-

cessarias functiones, his diebus interdici, sed cruenta tantum spectacula. Denique per ignorantiam & inadvertentiam multa à iudicibus admitti quæ religiosius observanda fuerant; vide notata in *Thesaurò Jurisprud. modò excuso. verb. Iudex.* quæ usurpationem potius sapiant, quam consuetudinem aut juris rectitudinem, non obstante contrario Dn. Obrechtii testimonio, quod occupatissimo homini excidisse per inadvertentiam credimus, *argument. l. i. ff. de Exercit. act.* sic ut dispositio ista (quod tamen præfiscini dixerim) mereatur numerari inter exempla assertionis Cujacianæ, *cum ait: PLURIMA JURE CERTO DECISA ESSE, DE QUIBUS VENUSTULI NOSTRI PRAGMATICI, ANXIE DUBITENT, CESPITENT, LABANTUR.* Ideò hæc & similia ἀντιλεγόμενα ipsi disputationis actui reservamus.

Hic tandem, Benevole Lector, pedem figere cogor, in materia minus hætenus trita; seorsim certè nemini tractata, neque aliud à me actum esse fateor, quàm ut ex iis autoribus, quorum copiam habere licuit, hætenus confusè delibata, in saporem qualem qualem confunderem, idq; stylo desultorio, & quasi per Satyram, *ut ait cap. 7. dist. 2.* Eadem typis concredere ausus sum, certus tamen de favore, cum limatiora diligentius deliberandi consilium & tempus desiderent *in l. i. pr. ff. de Exercit. act.* quorum utrumq; in præsentiarum deficit; Summo itaque de digito & quasi per Indicem, ut loquitur Imp. *in §. fin. l. de public. judic.* hæc qualia qualia ε̄ χρύσεια ἀλλὰ χάλκεια tibi exhibita benevolo accipies animo, dextrèq; de iis, in quibus calamus titubavit spero judicabis, memor moniti Innocentii *in cap. per tuas literas. Ext. de Simonia.* judicantis, facile ei ignoscendum esse, qui juris apices, & rariores materias discutit. *Mantica de conject. ultim. volunt. l. 6. t. 6. n. 13.* Neque obsisto, quo minus sublimiore fretus ingenio desiderata vel supplendi vel perfectius tractandi ansam arripias, dum interim conatum hunc tenuem animo can-

dido germanoꝛque sustineas, quem utique non tam spon-
 te mea, quàm instinctu Dn. D. Taboris, Præceptoris mei
 omni honore æternum prosequendi, suscepi, cujus confi-
 lio dum libenter obsequor, vereor, ne interim accide-
 rit, quod Seneca *de Ira. c. 6.* scribit: Facile esse leviam aptare
 cervicibus nostris, & hanc vel illam partem transferre si-
 ne lapsu; Quæ alienis in nos manibus imposita sunt,
 ægrè sustinemus, victi in proximos effundimus, & dum
 stamus sub sarcinâ, impares vacillamus. Nec dubito, quin
 & fortè nonnulla in his quæ proposita sunt offendes, quæ
 prælo nunc currente non animadversa, diligentiorẽ
 curam, & in melius restitutionem requisivissent; Ea verò
 pro animi Tui sinceritate, inter legendum emendatiora
 reddes. Nimirum etiam hic, (quod *in l. 11. pr. ff. de pœnis.*
§. 2. F. 28. §. ad hæc dicitur) Bonus iudex variè ex personis
 causisque definiet, & perpenso iudicio, prout quæque res
 postulat constituet. In qua spe definens Trinuni Soli &
 Omnipotenti DEO, Regi Regum, & Domino Domi-
 nantium, cui debemus omnia, & à quo, ut ait Poëta:

*Vita data est utenda, data est sine fœnore nobis
 Mutuo, nec certa per solvenda die,*

SIT LAUS, HONOR ET GLORIA,
 IN
 INFINITA SECLA.

Animadvertenda.

*In præfat. lin. 26. analytica. Sub fin. earumque. Thes. 4. lin. 8. alias leges
 tulit. Th. 8. l. 3. personam. Th. 11. l. 9. peculiari. Th. 18. l. 2. ἀνυόγει. Th. 26.
 l. 8. Libyam. Th. 27. l. 10. τὴν Th. ead. l. fin. propugnatus & defensus. Th. 28.
 l. 33. Alios. Th. 41. l. 29. Cereris. Th. 56. l. 44. vipersas. Th. 62. l. 7. propter opera.
 Th. ead. l. 23. Domini Camerales. lin. 33. sint operata. lin. 34. lanificam. *ibid.*
 manum. Th. 67. l. pen. adversatur. Th. 68. l. 8. Thracium. Th. 70. l. 38. adver-
 satur. Thes. 74. lin. 30. admisisse. lin. seq. ante. Cetera benevolus Lector, qua
 fortè occurrunt, obiter emendabit.*



Nobilissimo Clarissimoq;
D N. G E O R G I O von Dassel/
Jur. Utr. Candidato præcellenti,
Amico meo pl. honorando.

S. P. P.

Quomodo iudicium pia Quadragesima sistat,
Et quibus actibus hoc rite vacare queat,
Ut Domini JESU memorari passio possit,
Et mens divinis motibus esse potens,
DASSELI, è Sacro meditatus Codice, pulchrè
Differis, AUGUSTA pro pietate sagax!
Non id Pontificum vestigia inepta secutus
Fecisti; Veteris juris amore facis.
Faustum PASCHA Tibi tua Quadragesima faxit:
Centuplici pensans semina fruge tua.

Scrib. amicitia honorisq; mnemosynon

Joh. Georgius Dorscheus D.
Academiae h. t. R E C T O R.

Non sunt jejuni jejunia tollere Papa
pectoris, aet cocti multo cum mentis aceto.
Det tibi pro tanto, DASSELI, cocta, labore
prandia, qui studium compensat munere, IOVA.

Joh Conrad. Dannhavver. D.

Cum nequeam multis applaudere versibus ager
Currenti, verbo, prospera cuncta precor.

Joh. Otto Tabor D.

Sedula

*S*edula apis veluti redolentes undique campos
Vere novolustrat, munera grata legit,
Narcissi lachrymas bibit, & sibi dulcia quarit
Compleat ut succo nobiliore favos:
Sic Tu spinosi per magna volumina juris,
Adspirante DEI numine, carpis iter.
Perge animo tali Themidos sic itur ad arcem,
Hac tibi sic templi pandit utraq; fores.
Sicque futurus eris juris Dictator & equi,
Quem fore te spero, sperat & ipsa Themis.

Fridericus Deckherr, J. U. D.

*Q*uam benè consistat cum Nobilitate, GEORGI,
Virtus & Iuris cognitio solida;
Id. contestatur tua Dissertatio docta,
Testatur verum Nobilitate genus:
Cedat ut hoc laudi patriaque, Tibique, perennè
Sic plenis Votis ex animo voveo.

Honoris ergò f.

Alexander Kirchman D.

F I N I S.



Strassburg, Diss., 1651-52

ULB Halle 3
004 774 795




f

Sb.

VD 17







12894.

Q. B. V.

3

THESES INAUGURALES

JUS TEMPORIS QUADRAGESIMALIS

delibantes,

*Ad Leg. 6. Cod. de Feriis
accommodata.*

Quas

DEO clementer adjuvante.

Prævio Decreto & Autoritate

MAGNIFICI, NOBILISSIMI,
AMPLISSIMI AC CONSULTISSIMI,
SENATUS JURIDICI ILLUSTRIS
ARGENTINENSIIUM ACADEMIÆ.

Pro obtinenda

IN UTROQUE JURE SUMMA DIGNI-
TATE ET PRIVILEGIIS

DOCTORALIBUS.

*Publicæ & Solenni Eruditorum
disquisitioni exponit*

GEORGIUS von DASEL.

In Agroateriomajori, XXV. M. Sept.

os)os

ARGENTORATI,

Typis expressit JOHANNES Pickel /

A. R. S. c1o 1oc LL.

1651,4

